DE PLAVTI PERSA

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

MAXIMILIANVS MEYER
IENENSIS

LIPSIAE TYPIS B. G. TEVBNERI MCMVII

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Prof. Dr. Goetz.

Jena, den 15. Februar 1907.

Geh. Hofrat Prof. Dr. Liebmann,
d. Z. Dekan.

Paginarum numeri sunt fasciculi I vol. VIII Commentationum phil. Ien.

Cum iam diu nulli dubitationi obnoxium fuerit, quin Terentius, utpote quem maxime Menandrum, secundo loco Apollodorum sibi imitandos proposuisse ex indiciis sive ipsius sive Donati sciamus, in comoediis Graecis latine exprimendis poetas novae tantum Atticorum comoediae secutus sit, in Plauti reliquiis non eadem condicione utimur, cum sex tantum fabularum auctores Graecos ex prologorum indiciis vel didascaliis noverimus, ceterarum quindecim auctores ex indiciis aliunde petitis et saepius parum certis enucleare coacti simus. Itaque non mirandum est satis diu inter viros doctos in controversia fuisse, quorum poetarum Graecorum exempla Plautus sibi delegerit, utrum novae solum Atticorum comoediae auctores secutus sit an ex media quoque nonnulla argumenta petiverit. Quin etiam fuerunt, qui Plautum Epicharmum quoque imitatum esse et fabulam Rhinthonicam expressisse contenderent. Sed de hac sententia, quam primus Grysar[1]) proposuit, deinde alii probaverunt, actum est, postquam Ladewig[2]) eam refellit. Idem vir doctus Amphitruonis et Captivarum Plautinarum exempla Graeca e media comoedia petita esse putat.[3]) Cui cum alii alias fabulas tribuendas esse censebant tum Meineke[4]), peritissimus ille iudex comoediae Graecae, „mediam Atticorum comoediam pluribus in fabulis expressisse Plautum" contendit. Equidem cum novae solum comoediae fabulas a Plauto latine expressas esse semper mihi persuasissem, haec mea sententia confirmata et haudquaquam labefacta est docta dissertatione Fr. Hueffneri[5]), qui omnes fabulas Plautinas indiciis ex ipsis comoediis haustis ad novam comoediam revocavit praeter unam, quam solam Demosthenicae aetatis esse censet, quamquam antea eam novae comoediae esse probare conatus erat. Ut

1) De Doriens. com. p. 300—304.
2) Über den Kanon des Volcatius Sedigitus (Neustrelitz 1842) p. 19 sqq.
3) L. c. p. 26. 4) Hist. crit. p. 303.
5) De Plauti comoediarum exemplis Atticis quaestiones maxime chronologicae. Gott. 1894.

sententiam suam mutaret, Wilamowitzio auctore adductus est, cui plane assentitur in eis, quae in ind. schol. Gott. 1893/94 de eadem fabula exposuit. Eoque magis miratus sum sententiam horum virorum doctorum, qui viginti fabularum argumenta ex nova comoedia, unius tantum ex media petita esse censent, quod haec una fabula non, id quod potius exspectaveram, Amphitruo, sed Persa est, quae indolem novae comoediae prae se fert quam maxime. Quae res cum satis mira mihi videretur, denuo in eam inquirere mihi proposui. Sed his cum praemittenda esse putarem, quae praeterea de Persa observavi, totam dissertatiunculam ita institui, ut primum quidem de compositione, deinde de retractatione, denique de tempore exemplaris Graeci dissererem.

I De compositione Persae.

§ 1. Persae argumentum, quamquam iam a prioribus, qui vel hanc fabulam ediderunt vel de ea egerunt, enarratum est, tamen hoc loco omitti non potest, cum quae secuntur quaestiones magnam partem ad ipsum argumentum pertineant. Simul autem ex eodem argumento enarrato apparebit Persam non tot repugnantiis scatere, quot cum aliis tum maxime Isendijkio[1]) actionem turbare visae sunt.

I 1. Toxilus servus et ex altera parte Sagaristio, servus e vicinia Toxilique amicus, in scenam prodeunt; primo alter alterum non animadvertens ille sortem eius questus, qui pauper et egens amore captus sit, se ipsum talem miserum esse pronuntiat, cum argentum mutuum (scilicet ad amicam redimendam) accipere non possit, hic pauca verba de officiis servi frugi perdit seque ipso erum suum nullo modo carere posse dicit. Postquam inter se conspexerunt et familiariter salutaverunt, Toxilus nonnullis iocis spectatores oblectandi gratia factis hoc die illud in summo discrimine esse dicit, suane amica libera futura an sempiternam servitutem servitura sit. Itaque ab amico petit, ut sibi sescentos nummos mutuos[2]) det, quibus eam redimere possit. Sagaristio quamquam primo impudentis esse dicit, quod tantum pecuniae sibi in promptu esse suspicetur, tamen sedulo se quaesiturum esse pollicetur, si quis argentum sibi credat. Atque adeo Toxilus amico fidem habet, ut iam hoc promisso fisus argentum sibi a Sagaristione paratum iri certe speret (cf. *nempe habeo in mundo*).[3]) Deinde postquam

1) De T. Macci Plauti Persa, diss. inaug. (Traiect. ad Rhen. 1884).
2) Cf. huius diss. p. 154 et adn. 2. 3) Cf. p. 156.

amicum, ubi primum quid auxilii invenerit, statim ad se venire iussit, eum dimittit et ipse se tamdiu domi remansurum esse profitetur, donec lenoni (scilicet ero amicae suae)[1]) malam rem magnam excoxerit.

I 2. Saturio parasitus prodit et multa verba facit de quaestu suo, quem iam maiores sui exercuerint et ipse magna cum cura colat. Tum vehementi iracundia exardescit de quadruplatoribus, quorum quaestum se indignissimum esse seque minime decere dicit. Quibus postquam novam legem ferri magnopere oportere pronuntiavit, subito praecidit et de rebus publicis ad suam ipsius rem transit: iam Toxili domum ingressurus est, ut reliquias cenae inspiciat: eodem tempore fores aperiuntur.

I 3. Toxilus ipse exit. Quod in fine primae scenae professus erat se eo usque domi remansurum esse, dum lenoni magnum malum paraverit, id praestat. Nunc cum omnia invenerit, ut leno sua ipsius pecunia amicam suam liberam redderet, foras egreditur. Ac primum quidem quasi parasitum non videat simulans domo prodiens servis mandat, ut omnia ad cenam apparent, cum congerronem exspectet. Haec res gratam poetae occasionem offert nonnullos iocos faciendi, cum Saturio se esse illum convivam, qui a Toxilo exspectetur, certe credat. Postquam inter se salutaverunt, Toxilus e Saturione quaerit, num meminerit se ab ipso heri petivisse, ut sibi sescentos nummos mutuos daret. Cum parasitus sibi nihil esse denuo affirmaverit, Toxilus se iam nolle eius argentum dicit: tantum filiam sibi det, qua utatur. Quae verba cum Saturio primo falso intellegat, Toxilus eum edocet filiam eius in speciem (nam tale quid in lacuna post v. 136 exstiterit oportet)[2]) lenoni vendendam esse. Saturio quamquam primo declinat, tamen cum Toxilus minetur illum non prius quicquam esse esurum, quam sibi morigeratus esset, vincitur et quae Toxilus velit se facturum esse promittit. Hic denique parasito praecipit, quomodo instructam filiam suam vendat et quid haec fabuletur. Ubi leno argentum solverit, statim ille filiam suam in libertatem vindicet. Digrediuntur, postquam Toxilus se amicae suae litteras, ut bonum animum haberet, missurum esse pronuntiavit.

II 1. Lemniselenis Toxili amica eiusque ancilla Sophoclidisca prodeunt. Quae postquam magnopere questa est quod nimis stulta ab era haberetur, quippe quae mandata etiam atque

1) Cf. p. 165 sq.
2) Cf. § 5 p. 166 sq.

etiam repeteret, in fine scenae se Toxilo erae suae mandata[1]) delaturam esse promittit, ut ea opera Lemniselenis libera sit.

II 2. Quod Toxilus in fine primi actus professus erat se Lemniseleni nuntium et litteras missurum esse, ut bonum animum haberet, id hac in scena exsequitur. Paegnio puero vaferrimo et audacissimo mandat, ut amicae suae litteras deferat et quae iusserit nuntiet. Postquam hic ero suo audacter respondens spectatores oblectavit, Toxilus domum abit et Sophoclidisca progressa Paegnium convenit. Multis iocis inanibus factis et convicia conviciis rependens Sophoclidisca se Toxilo tabellas, Paegnium se ad Lemniselenem obsignatam abietem ferre profitentur. Denique abeunt, postquam quid litterae continerent, neuter prodidit.

II 3. Sagaristio gaudio alacer procedit et dis gratias agit, quod sibi amici adiuvandi occasionem obtulerint. Nam ab ero sibi argentum datum esse, ut Eretriae boves solveret, quos ille nudiusseptimus emisset. Se autem quae erus mandavisset adeo non executurum esse, ut illo argento et amicum molestia liberare et genio suo multa bona facere et ero parco vetuloque dolum nectere vellet.

II 4. Paegnium, qui interea Toxili mandatum exsecutus Lemniseleni litteras detulit, Sagaristionem in scena versantem convenit et ab eo interrogatus, ubi Toxilus erus sit, se dicere nolle respondet. Immo procaciter et impudenter locutus Sagaristionis iram vehementissime excitat. Ubi abiit, is quem Sagaristio maxime convenire cupiebat, procedit.

II 5. Toxilus ipse cum Sophoclidisca foras progreditur eaque bono cum nuntio ad Lemniselenem dimissa Sagaristionem conspicit. Hic autem cruminam argento repletam, quam in collo gerit, iocose vomicam esse dictitans quam ne attingat caveat, pecuniam quam se comparaturum esse promiserit inesse amico aperit. Toxilus se omne argentum mox ei redditurum esse denuo pollicetur, cum iam omnes sycophantias instruxerit, ut a lenone argentum rursus auferret. Ad quem dolum quia Sagaristionis auxilio ei opus est, hunc docturus domum abducit.

III 1. Saturio parasitus cum filia sua procedit et postquam se omnia consilia communicasse quaeque res ageretur exposuisse dixit, filiam hodie venire repetit. Haec autem lepidissimis argu-

1) Cuius generis haec mandata fuerint, quamquam hac in scena non satis clare exponitur, tamen facile intellegi potest Lemniselenem per ancillam suam Toxilum monere, ut ipsam quam citissime liberet, id quod e versibus 302—303 perspicue elucet.

mentis usa etiam specie venire recusat: non decere patrem filiam ventris causa vendere aut eam pro ancilla habere, melius esse vitam modeste degere quam cum infamia: inimicos vereatur: hos enim famam non ita, ut nata sit, laturos esse, i. e. si audiverint ipsam specie venisse, continuo famam vulgaturos esse se re vera quasi servam venisse. Nec desistit virgo patris pravitatem lepidissimis verbis oblique perstringere, donec paterna auctoritas vincit et parasitus praecise e filia quaerit, patrine oboediens futura sit necne. Postquam virgo se et oboedientem fore et omnium quae in vendendo sibi loquenda essent meminisse affirmavit, unus scrupulus ei incidit: caveat pater, si quando filiam locare velit, ne procus illa odiosa re offendatur. Ne haec quidem altercatio parasitum in angustias adducit: dotatae virgini nihil vitio verti seque filiae suae sescentos logos Atticos daturum esse, qua dote vel mendico nubere possit. Tum demum virgo patri obsequitur fatoque inevitabili cedit et ambo abeunt.

III 2. Dordalus leno progressus secum loquitur: eum esse diem, quo Toxilus se ipsi argentum soluturum esse iuraverit; se concupiscere scire, quid ille facturus sit. Dum haec animo considerat, foris concrepat.

III 3. Toxilus ipse egreditur. Gravissimis et turpissimis conviciis in lenonem invehitur, qui pro sua parte a responso minime laborans convicia conviciis rependit. Tum Toxilus lenonis animo sibi reconciliato, cum ea sola causa ei iratus fuerit, quia is argentum sibi credere i. e. amicam nisi praesenti argento sibi permittere noluerit, sescentos nummos ei tradit et statim amicam liberari et ad se duci iubet.

IV 1. Toxilus secum loquitur, ut quaecunque res sobrie et accurate instituatur, ea prospere succedere soleat, ita se quoque confidere dolum, quem callide inceperit, bene proventurum esse. Tum Sagaristionem foras vocat et virginem educere iubet.

IV 2. Sagaristionis et virginis ornatum miratus eos procul abscedere iubet, ut rursus progrediantur, ubi ipsum cum lenone colloquentem videant.

IV 3. Dordalus in scenam progreditur ita gaudio elatus quod Lemniseleni venditata lucrum fecerit, ut eo die et omnibus crediderit, i. e. a nullo satis idoneam cautionem exegerit, et Toxilo identidem quaerenti hoc unum respondeat: *credo tibi.* Postquam denique affirmavit Lemniselenem liberatam et iam in Toxili domo esse, hic blandiens et se gratias ob istud benignum factum referre simulans lenoni aperit luculentam lucri faciendi occasionem ei of-

ferri. Ac statim Dordalo tabellas, quas sibi ab ero suo e Persia missas esse fingit, perlegendas tradit. Qua in epistula Timarchides Toxili erus scripsisse fingitur se propter negotia intra octo menses Athenas reverti non posse;* Toxilus autem illi Persae, qui tabellas detulerit, hospitium praehibeat curetque, ut furtiva virgo, quam ille abductam ex Arabia secum habeat, periculo eius qui empturus sit veneat. Scrupulum Dordalo, qui quamquam lucrum facere concupiscit, tamen suo periculo virginem emere veretur, Toxilus eximere conatus, ut Persae advenientis mercimonium inspiciat, persuadet.

IV 4. Sagaristio et parasiti filia Persico ornatu induti procedunt. Virgo a Sagaristione interrogata, quomodo Athenae sibi visae sint, callide et anilem fere prudentiam prae se ferens respondet, id quod Toxilo exclamationes admirationis expromit. Cum virgo Dordalo quoque magis magisque placeat, Toxilus ei, ut illam emat, persuadere conatur omnia commoda depingens et exornans, quae virgine empta ei offerantur. Iamque stultus leno in eo est, ut e Pseudo-Persa quaerat, quo pretio illam abducere possit, cum Toxilus eum, ut securum reddat, amicitiam simulans monet, ut quae ad rem pertineant prius ex puella percontetur. Leno valde gavisus se amici consilio e laqueo elapsum esse tantam Toxilo fidem habet, ut, dum illam percontetur, eum adesse concupiscat. Deinde cum virgo lenoni interroganti, quod nomen sibi, ubi nata, quae patria, quod nomen patris sit, ambiguis verbis apte, re vera autem nihil responderit, ille a Toxilo stimulatus, quamquam et Sagaristio et virgo saepius eum monuerunt illam mancupio non dari, tamen Persam, ut pretium indicet, monet. Postquam ingens sexaginta minarum pretium inter eos convenit, leno domum properat, ut argentum afferat.

IV 5. Postquam Dordalus abiit, Toxilus virgini gratias refert, quod partes suas optime obtinuerit, et Sagaristionem monet, ut ubi argentum a lenone acceperit simulet quasi ad portum eat neve domum se recipiat, ne lenoni suspicio moveatur.

IV 6. Dordalus sexaginta minas duobus nummis pro crumina demptis effert et Sagaristioni dat. Qui statim abire properat, cum negotia habeat et geminum fratrem, quem Athenis servire audiverit, redimere velit. Priusquam autem abit, Dordalus nomen ab eo percontatur. Tum Sagaristio multa ficta nomina affert, quibus quid rerum gesserit satis clare indicat. Miranti lenoni dicit Persarum morem esse longa nomina contortiplicata habere. Subinde ad portum properat.

IV 7. Dordalus autem, quem Toxilus commonet, quam

bonum negotium gesserit, lucro suo gaudere non potest. Vehementissime enim dolet se virginem suo periculo emisse: nam facile fieri posse, ut illa manu asseratur. Tum Toxilo, qui eum animo ingrato esse dicat, gratias agit et virginem servandam tradit, dum ipse domi servis mandata det, quae oblitus sit. Ubi abiit, Toxilus Saturionem evocat et monet, ne occasionem lenonis ulciscendi praetermittat.

IV 8. Dordalus redit et Toxilus postquam eum merita sua commonefecit et iterum gratiam ab eo iniit, cum eius liberta decubiturus abit.

IV 9. Vix Toxilus abiit, cum Saturio foras se proripit illum hominem perditurus, qui filiam suam emerit. Et iam virgo patrem agnoscit et salutat, cum leno statim se interiisse et habere intellegit, cur sexaginta minas lamentetur. Et non solum has minas perdit, sed etiam a Saturione in ius vocatur, quippe *qui commercetur homines liberos.*

V 1. Toxilus re bene gesta cenam paravit, cui praeter Saturionem eiusque filiam omnes participes doli Dordalo parati intersunt. Postquam dis gratias egit omniaque praeparavit, ut convivae geniis suis bene facerent, Lemniselenem amplexus Sagaristionem accumbere iubet. Qui cyathos sibi ferri iubet et pro sua salute et Toxili et amicae eius bibit. Omnes fortissime poculis utuntur et Lemniselenis meretricum more vix a ceteris superatur.

V 2. Dordalus progreditur se omnium hominum miserrimum esse praedicans et calamitatem suam miserrime lamentans. Tum Toxilo, qui hunc dolum sibi nexerit, quia argenti fidem ei habere noluerit, gravissimas poenas minatus, ubi erus eius redierit, comissantes animadvertit et per irrisionem quandam salutat. Ad cenam a Toxilo invitatus gravissima ira incenditur et ne quis vel digito ipsum attingat monet Lemniseleni imprimis iratus, quae dolum quamquam sciverit ipsum celaverit. Denique a Paegnio identidem male mulcatus, dum Toxilus ipse Paegnium desistere iubet, Sagaristionem Persam illum esse agnoscit, a quo miserrime emunctus sit. Quamquam hic se illius geminum fratrem esse neque quicquam se meruisse praedicat, tamen iratus leno capiti eius omnia mala precatur. Deinde Toxilus cum iterum Paegnium Dordalum verberare iusserit et Lemniselenis pro eo deprecari ausa sit, vehementer amicam increpat et ut dicto oboediens sit postulat. Denique leno manus inimicis dat et cantor spectatores plaudere iubet, quia leno perierit.

§ 2. Verba Camerarii, qui primus „argumentum Persae

fabulae exile esse, amationis servilis“ dixit, ab Ussingio, qui Persam edidit, et ab Isendijkio, qui de repugnantiis in hac fabula egit, repetita et quasi pro titulo praemissa sunt. Quibus Camerarii verbis Persae argumentum ea de causa exile dici videtur, quia servus amat et servus amicam ducit. Ne ego quidem huius fabulae argumentum eximium esse contenderim, verum minus ea re commotus, quod servorum res agitur hominesque illiberales primas partes obtinent, quam quia res quae agitur exilis est, cum id potissimum agatur, ut Dordalus leno Toxili dolis argento defraudetur et ultro male mulcetur atque eo solo consilio, ut vafro servo copia amicae fiat. Qua enim re Persae argnmentum ab aliarum fabularum argumentis differt, in quibus ut adulescenti vel etiam, quod peius est, seni meretrix quaedam appareat agitur, nisi ea, quod in Persa amator servus, in aliis fabulis autem homo liber est? Nonne, quaeso, talium fabularum argumenta multo exiliora sunt, utpote in quibus hominibus liberis verecundiae non sit libidinis tantum explendae causa meretricem illiberalem expetere, cum in Persa servus amicam sui generis et ordinis suique simillimam sibi comparare conetur?

Nihilominus Persae argumentum ea re conspicuum est, quod servus non solum primas partes agit, ut in plerisque aliis comoediis, sed etiam servi res agitur, cum Toxilus servus amicam non ero suo, sed sibi ipsi comparet. Quod ad hanc amationem servilem attinet, Persa inter fabulas Plautinas (et Terentianas) sola et singularis exstat. Nimirum servos amare vel amicam ducere ex aliis quoque fabulis innotuit. In Amphitruone quidem Sosia servus hostibus victis et re bene gesta ut Amphitruonem Alcumenae uxori, ita se amicae suae exspectatum venturum esse sperat (v. 659). In Milite Glorioso Palaestrio et ipse servus Milphidippam sponsam suam statim uxorem ducturus est, ubi era eius Pyrgopolinici nupserit (v. 1007—1008). Stichus quoque in fabula, quae ab eo denominata est, Stephanium eri sui fratris ancillam una cum Sagarino amicam habet et per hortum ad eam transiturus est, qua nocte fruatur (v. 431—438). Ex his locis, qui etiam aliis augeri possunt, satis elucet servos in comoediis amare non tam inauditum esse, quam primo obtutu huic vel illi videri possit, et aliunde innotuit servis si non coniugium, attamen contubernium ab eris permissum esse, quae res his ne ingrata quidem fuit, quia contubernio servorum familia augebatur. At talem amationem servilem in fabula primum locum tenere eamque potissimum argumentum explere inter unam et viginti comoedias Plautinas neque invenitur

et inusitatum est. Idem cum poeta quoque sentiret, statim ineunte fabula (v. 25) verba illa: *iam servi hic amant*[1]) quasi excusationem afferens praemisit. Praeterea haec mira res, quod amatio servilis pro argumento fabulae ponitur, singulari condicione Toxili excusatur. Neque enim vulgaris servus est, sed ordinarius: dispensatorem vel actorem vel procuratorem eum esse intellegas, cui dominus, cum peregre sit (v. 29), curam totius domus et familiae commiserit. Itaque ceteri servi inferiores et eius imperio subiecti sunt, ut non mirandum sit Toxilum, cum I 3 domo egrediatur, servis quibus cura culinae et cenae commissa est imperare et mandata dare, neque magis offensioni sit Toxilum compluriens „erum" Paegnii pueri appellari (v. 247, 277). Fieri potest, ut Toxilus hunc superiorem locum dispensatoris etiam ero domi versante tenere censendus sit, neque vero minus perspicuum est eum absentia eri insolenter et immodice abuti: velut 'basilice' eleutheria acturus est (v. 29), Sagaristionem ad 'basilicam' cenam vocat, ubi luxuriose et iucunde vivere volunt (v. 31), id quod in quinto actu ad effectum adducunt, parasito, cuius opera ei opus est, victum praebet, scortum ducit. Haec omnia domino praesente ne dispensator quidem sibi sumere potuit, sed cum hic peregre sit, superbe dominatur, cum nemo sit, qui impediat. Illud autem mihi prorsus falsum esse videtur, quod Isendijk maxime offensus Toxili sermone, qui magis hominis liberi quam servi speciem tota fabula

1) Haec verba poetae Graeco vindicare non dubito. Nam quamquam nimiam Atticorum servorum licentiam Romanis, apud quos servorum condicio durissima et severissima fuit, admodum miram et notabilem fuisse necesse est ideoque poetae Romano magis quam Graeco excusatione opus erat, si servum, cuius audacia modum excedere videbatur, induxit, tamen, ut ceterae viginti fabulae docent, amationem servilem pro argumento comoediae poni etiam Atticis insolitum fuit, quapropter ne Attico quidem poetae talem excusationem afferre supervacaneum fuisse videtur. Eadem sententia est O. Seyffert in Ann. Burs. 1895 II p. 40, cum Plauto haec verba tribuat Wilamowitz l. c. p. 19. — Alia est ratio verborum quae in Sticho fabula poeta Stichum loquentem facit et quae optime huc conferri possunt (446 sqq.):

Atque id ne vos miremini, homines servulos
Potare, amare atque ad cenam condicere:
Licet haec Athenis nobis.

Hac quoque in fabula cum servi nimiam audaciam prae se ferant, poeta se hanc excusationem spectatoribus debere putavit. Sed haec verba multo certius Plauto vindicanda sunt quam quae in Persa leguntur, cum nimirum non tam Athenienses quam Romanos opus esset ut poeta edoceret talem servorum licentiam qualem fingeret Athenis grassari.

prae se ferat, contendit Toxilum a poeta Graeco erilem filium fictum esse, cuius partes Plautus in servi mutaverit. Nam quam iam supra commemoravi durissimam Romanorum servorum condicionem, vix poetam Romanum adducere potuit, ut partes liberi hominis, quas in exemplo Graeco invenit, in procacis servi partes converteret ita, ut hic primum fabulae locum teneret eiusque potissimum res ageretur. Equidem animum inducere non possum, ut credam poetam Romanum in comoedia quicquam ficturum fuisse, quod a moribus Romanis tantopere abhorreret, nisi in exemplari suo invenisset.

§ 3. Inter ea, quae Isendijkium commoverunt, ut Toxilum a poeta Graeco hominem liberum fictum esse crederet, nonnulla sunt, quae in argumento parum verisimili posita sunt. Compluriens[1]) enim offenditur artissimo amicitiae vinculo, quo Toxilus cum Sagaristione, servus cum servo, coniunctus sit. Eo usque enim Sagaristio progreditur, ut amicum molestia liberandi causa erum suum argento sibi credito defraudet, quamquam haud ignorat se hac pecunia aversa gravissime vapulaturum esse (cf. v. 265. 264. 267—271). Et confitendum est ex ceteris fabulis Plautinis tam fidelem inter servos amicitiam non innotuisse et servos se non tam in conservos quam in eros suos fideles praestare. Attamen in ipsa Persa inest ratio, qua haec nimia fere amicitia servi in conservum excusetur minusque notabilis et mira fiat. Primum enim Sagaristio habet, cur argentum sibi brevi redditum iri speret, cum Toxilus ei polliceatur se triduo aut quadriduo argentum ei repositurum esse (v. 37)[2]), deinde ipse eloquitur se non mera amicitia commotum erum suum frustrari et tantam tempestatem in caput suum contrahere: non solum sui commodi in adiuvando amico non obliviscitur et genio suo multa bona argenti usu se facturum esse sperat (v. 263), sed etiam id potissimum eum ad fraudem impellit, quod ei multam delectationem affert „parcis et vetulis hominibus, qui salinum servo obsignant cum sale“ dolum nectere (v. 266—267). Haec consideranti Sagaristionis amicitia minus gratuita minusque suae commoditatis immemor esse videbitur.

Itaque in hac servorum amicitia minime haerendum est, praesertim cum etiam extra comoediam in vita facile fieri potuerit, ut duo servi pari sorte coniuncti familiarem amicitiam inirent. Atta-

1) L. c. p. 63 ad II 3, p. 87 ad 43.

2) Hoc expressis verbis contra Isendijkium monendum est, qui p. 85 falso contendit Sagaristionem Toxilo argentum suppeditasse, priusquam is se statim reddere posse dixisset.

men ut in plerisque comoediis ita in Persae quoque argumento parum verisimilia insunt, quae nisi in comoedia nusquam fieri possunt; sed haec imprimis, si recte observavi, effectum comicum efficiunt eisque potissimum spectatores oblectantur. Huc imprimis referendae sunt mutationes vestitus, quae ratio in comoedia saepe et libenter initur, quo facilius fraus quaedam perficiatur. In Persa Sagaristio et Saturionis filia Persica veste induti lenonem decipiunt, quod in vita non ausi essent. — Ut mutatio vestitus ita aliud genus mancae verisimilitudinis Persae cum aliis comoediis commune est, scilicet in ea re positum, quod in comoedia omnia in maius extolluntur modusque exceditur. Huc spectat illa res satis nota et in magna parte fabularum repetita, quod lenones, qui in vita, ut eorum quaestus secum ducebat, astuti et versuti veteratores fuerunt, in comoediis mira quadam imbecillitate ingenii finguntur et propter stultitiam semper miserrime emunguntur. Sed haec res comoediae condonanda est, cum bono consilio fiat, ut haec „labes popli" (v. 408), cum in vita pro tot flagitiis rarissime puniatur, in comoedia saltem supplicium pendat. Itaque id potissimum magna comoediarum parte spectatur, ut tamquam ad compensandam iniuriam vitae graviter in lenones consulatur, et tum demum comoedia bene peracta est, cum leno gravissimum supplicium dedit et miserrime mulcatus est (Pers. 857: *Spectatores, bene valete. leno periit: plaudite*). Quodsi respexeris, non mirum videbitur in Persa lenonis stultitiam maximam fictam esse, quae omnem fere credibilem modum exsuperet. Dordalo enim, quamvis turpissimis et sordidissimis conviciis a Toxilo appellari solitus sit (III, 3), tamen nulla suspicio oritur neque quicquam sentit, cum Toxilus, ut ille in dolum suum incidat, blandis verbis eum appellet (IV, 3). Idem Dordalus non offenditur Persam et virginem, qui recta ex Arabia venire dicuntur, perfecte Latine loqui[1]) neque sentit os sibi a virgine oblini, cum interrogata, quinam parentes quaeque patria sit, ambiguis verbis apte respondeat, re vera autem nihil dicat. Quid quod ne tum quidem suspicio ei movetur, cum Pseudo-Persa inter-

1) Hoc iam Isendijk monuit p. 70. Contra eum Fr. Schoell in adn. praef. p. XXI me quidem iudice minus recte affert: „Quin etiam miratur non mirari Dordalum, quod Persa Persisque optime latine loquantur: ubi ante omnia leno mirari debuit se ipsum ceterosque latine loqui Athenis Atticis." Hoc non rectum esse puto. Nam quae in comoediis Athenis aguntur, ea Romam transferuntur et quasi Romae fiant latine dicuntur. Eos autem, qui e terris remotioribus adveniunt, insita lingua uti posse probat exemplum Poenuli.

roganti lenoni, quod nomen ei sit, fictis at hercle claris nominibus ei fraudem paene indicat et quasi in os ingerit (701 sqq.). Neque in fine fabulae Dordalus calamitate sua doctus est, sed patienter plagas fert, quae ei a Toxili satellite audaciae ingeruntur; quin etiam inimicis in fine manus dat.

Similis ac lenonum est parasitorum condicio in comoediis: ut lenones nimis stulti, ita parasiti fame paene emortui ideoque nimis edendi avidi depinguntur, ut si in vita eadem impudentia eis, a quibus cena iuvari cupiunt, molestiam pararent, vix unquam saturi fierent. Ad quodvis facinus ventris causa parasiti parati sunt. In Milite Glorioso quidem Artotrogus parasitus gloriose mentitur et fallacia facta comminiscitur, quae patronus suus fecerit. In Sticho Gelasimus parasitus auctionem facit rerum suarum quamvis miserrimarum, ne inedia absumatur. In Persa autem veritatis fides vix servatur, cum Saturio parasitus eo aviditatis progrediatur, ut ventris causa filiam suam tam inhonestum in locum deducat neque ut ancillam eam vendere dubitet. Simili ratione ac lenonum nimia stultitia haec parasitorum immoderata cupiditas excusatur: cum in vita parasitando summam molestiam exhiberent adeoque importuni essent, ut vix ianua prohiberi possent, in comoedia ea re deridebantur, quod eorum cupiditas edendi in maius augebatur ipsique famis explendae causa quodvis facinus suscipere fingebantur.

Ex altera parte, ut lenones nimis stulti et parasiti nimis edendi appetentes finguntur, lenonum adversarii, servi, quibus id potissimum agendum est, ut lenones miserrime emungant, nimia fere calliditate et astutia instructi sunt, ut quemvis dolum celerrime comminiscantur et tamquam per ludum ad finem perducant. Et profecto habemus, cur miremur, qua certa ratione servus promisso dato argentum comparet et qua prosperitate ei ut promissum praestet contingat. In Persa quidem Sagaristio vix amico promisit, se quaesiturum esse, num quis argentum sibi credere velit, cum Toxilus sibi argentum fore pro certo habet (v. 45 *nempe habeo in mundo*). Et progressus fabulae docet Toxilum Sagaristionis promisso fisum argentum sibi iam paratum esse sperare. Nam etsi Toxilus pro sua quoque parte se quaesiturum esse praedicat (v. 47), re vera non argentum quaesiturus est, sed ea de causa domum se recipit, ut lenoni malam rem magnam excoquat (v. 52). Itaque remittit argentum Saturionis (v. 127), quem pridie, ut sibi sescentos nummos mutuos daret, rogaverat, cum persuasum habeat Sagaristionem sibi argentum suppeditaturum esse. Quid si Sagaristioni non contigisset, ut erus ei argentum ad solvendos boves daret?

Nonne tota Toxili machinatio irrita esset et corrueret? Sed huius rei, quae facile fieri potuit, comoedia rationem non habet: quod forte, si peropportune accidit, fieri potest, id ita effingitur, quasi aliter evenire non possit. Itaque saepissime in comoediis servus promittit, quod vix praestare potest, vel etiam eos, quos defraudare vult, monet, ut a tricis suis caveant, et tamen promissa semper praestat.

Talia parum verisimilia, quae in eo posita sunt, quod virtutes vel vitia personarum quarundam in maius augentur, universae comoediae propria[1]) ideoque Persae cum ceteris fabulis communia sunt. Attamen Persae unum peculiare est, quod huius fabulae poeta admisit quodque in ceteris frustra quaesitaveris. Iure enim Isendijk quaestionem proponit (p. 54), num secundum naturam humanam fiat, ut servus suae ipsius salutis oblitus omnibus viribus efficere studeat, ut alium servum vel aliam servam redimat, adeo sui commodi immemor, ut eadem pecunia se ipsum redimi posse non cogitet. In ceteris enim comoediis servus, ubi tantum argentum nactus est, quanto ad redimendum servum opus est, non sibi, sed ero suo amicam servitute liberat. Sed illud, quod Isendijk deprehendit, quamquam iure contra dictum esse videtur, tamen non habemus, cur poetae vitio vertamus. Quis enim scit fieri potuisse, ut servus erum suum pretio emptionis deposito cogeret, ut ipsum manu emitteret? Neque enim quisquam ad hoc probandum Casinae v. 314—316 afferet, ubi Olympio vilicus haec dicit:

Quin si tu nolis filiusque etiam tuos,
Vobis invitis atque amborum ingratiis
Una libella liber possum fieri.

Olympio enim erili seni magnum gratum fecerat, cum ei morigeratus esset, ut sperare posset, erum sua sponte ipsum liberaturum esse. Neque quae verba Strobilus servus Aul. v. 816—817 profert:

Quin ego illi me invenisse dico hanc praedam —
Igitur orabo ut manu me emittat: ibo atque eloquar

quicquam probare possunt. Similiter enim hac in fabula res se habet atque in Casina: si Strobilus manu mittitur (quod quin in amissa parte fabulae factum sit, non dubitandum est), hoc ea de causa fit, quod Lyconides erus ei tantam gratiam debebat, ut eum

1) Huc referri potest illud Aristotelis (de a. p. 1448a): *ἡ μὲν γὰρ* (sc. *κωμῳδία*) *χείρους μιμεῖσθαι βούλεται τῶν νῦν.*

sua sponte liberaret. Sed cogi non potuit, quod responso probatur, quod Lyconides Olympioni roganti, ut manu mittatur, dat:

v. 824 sq. *Egone te emittam manu,*
Scelerum cumulatissime?

Huc etiam referendum est, quod Dio Chrysostomus in or. XV 452 R. tradit: . . . *σὲ δὲ οὐκ ἀδύνατον ἐλεύθερον γεγονέναι, ἀφέντος τοῦ δεσπότου. Τί δέ, ὦ λῷστε, ἔφη, οὐδεὶς ἂν γένοιτο ἐλεύθερος μὴ ὑπὸ τοῦ δεσπότου ἀφεθείς;* et p. 453: . . . *Τί δέ; ἐμαυτὸν οὐκ ἂν σοι δοκῶ ἐλευθερῶσαι; Εἴ γε ἀργύριόν ποθεν καταβάλοις τῷ δεσπότῃ, οὐ τοῦτόν φημι τὸν τρόπον* e. q. s.

Itaque Toxilus etiamsi totam aulam auri invenisset et pretium deponeret, erum cogere non potuit, ut manu mitteretur. Quod cum sciat, argento a Sagaristione accepto non utitur, ut se ipsum redimat, sed, cum erus peregre sit, genio suo aliquid boni facturus amicam sescentis nummis liberat, quo vilissimo[1]) pretio duo boves quidem emi possunt (264. 317), servus autem ordinis Toxili e servitute redimi non potest. Dispensatores enim maiore pretio venibant quam servi vulgares et Plinius n. h. 7, 129 tradit dispensatorem centum triginta milibus sestertium venisse, quod quidem insolenter magnum pretium fuit. — Itaque poetae Persae vitio verti non potest, quod Toxilum sui commodi nimis immemorem finxerit, cum ero invito etiam argento parato numquam liber fieri posset, et ratio Isendijkii, qui hac potissimum re commotus contendit Toxilum in exemplari Graeco hominem liberum fictum esse, irrita et caduca est.

Denique finis fabulae primo obtutu ea de causa verisimilitudine carere videtur, quod Dordalus, qui quamquam libera virgine empta sexaginta minis emunctus et a patre virginis in ius tractus iustam poenam dedisset, tamen cum fraude deceptus esset tantum supplicium iniuria dedisse videtur, inimicos suos pro sua parte in ius non vocat. Neque enim fieri potuit, ut iure Graeco et Romano aeque ac nostro tam improba fraus, quam Toxilus lenoni quamvis odioso intulerat, impune esset. Sed omnia recte se habent et, quod aequum est, fraudem a Toxilo Dordalo illatam non impune fore ex ipsa fabula elucet: Dordalus enim animadvertit Toxilum iracundia inflammatum, quia ei Lemniselenem nisi praesenti pecunia apparere noluit, illam fraudem ipsi paravisse (v. 781. 784. 785). Itaque, quod humanum est, Dordalus vehementer suscenset et de fraudatore poenas sumere concupiscit. At idem Dordalus non

1) Parasiti filia e. g. deciens tanto pluri pretio, sexaginta minis venit

ignorat Toxilum, utpote qui servus sit, in ius vocari non posse, itaque ipsum, si illum ulcisci velit, facere non posse, quin exspectet, dum Toxili erus, qui peregre est, domum redeat. A quo tum petendum est, ut de procaci servo supplicium sumat, quod quin Dordalus facturus sit non dubitandum est, cum vehementer minetur:

786 sq.: *Quem pol ego ut non in cruciatum atque in compedes cogam, si vivam,*
Siquidem huc umquam erus eius redierit, quod spero —
811: *Lude ut lubet, erus dum hinc abest.*
819: *Ego pol vos eradicabo.*

Itaque Toxilum quoque poenas daturum esse certe sperare possumus, cuius flagitia hercle non minora sunt quam lenonis. Illud autem exspectare non debemus hoc in comoedia ipsa fieri, quippe in qua, ut iam supra demonstravi, id potissimum agatur, ut de odioso lenone gravissimum supplicium sumatur eique, qui eum emunxerunt, exultent et triumphent.

§ 4. In summa disputationis suae (p. 84—92) Isendijk, cum unitatem actionis desideret, Persam contaminatam esse probare conatur. Atque haec fere exponit: Persam non satis in uno argumento versari videri, cum duae telae ante oculos spectatorum texantur: alteram esse, ut amatori (Toxilo) pecunia suppeditetur, qua amicam suam liberet: ad quod efficiendum servum quendam (Sagaristionem, amicum eius) pecuniam ab alio sibi datam ei largiri; alteram, ut virgine libera, parasiti filia, in speciem vendita lenoni argentum auferatur. Utrumque argumentum tanta ubertate tractari ac si duabus fabulis diversis materiam praebere debeat: nihilominus nos videre argumentum alterum nulli alii rei inservire nisi ut Sagaristioni, qui non postulaverit, ut pecunia sibi redderetur, immo qui Toxilo argentum suppeditaverit, priusquam is dixisset se statim reddere posse, pecunia reddatur. Attamen simulac pecuniam a lenone adepti sint, Toxilum etiam metuere, ne Sagaristio cum pecunia aufugiat. Quem Toxili metum intellegi non posse, si eo ipso consilio omnis lapis motus esset, ut pecunia Sagaristioni redderetur. Denique cum et quae Toxilus agat et quae loquatur homini libero magis quam servo conveniant, Isendijk concludit ex duabus fabulis unam esse conflatam. Alterius fabulae argumentum huiuscemodi fuisse: „Virgo libera in breve tempus a patre commodata venumdatur: qua pecunia accepta amator (verisimiliter, ex more solito Plauti, homo liber) amicam suam a lenone redimit

(igitur post virginem venditam): in altera servus pecuniam ab hero sibi creditam, ut Eretriae boves mercaretur, furatus filium herilem (cui semper apud Plautum servum favere videmus) adiuvit, ut voti compos fieret.“ Qua coniectura multas alias difficultates quas Persae argumentum praeberet tolli.

Praeter Isendijkium nemo de contaminatione Persae cogitavit et ne Ladewig quidem, qui Epidicum, Bacchides, Captivos, Militem, Pseudolum, Truculentum contaminatas esse coniecit Stichumque et Trinummum in dubitationem vocavit (l. l. p. 28 sqq.), Persam contaminatam fabulam esse iudicavit, nisi quod Plautus magnam partem scenarum de suo addidisset (l. l. p. 38 sqq.). Neque alii, qui vel easdem fabulas vel alias contaminatas esse putabant, Persam in dubitationem vocaverunt. Et iure Isendijkii sententiam neminem secutum esse censeo. Prorsus enim falsam esse puto rationem eorum virorum doctorum, qui ubi in aliqua fabula nonnullas difficultates invenerunt, non melius eas solvi posse putant, quam si fabulam contaminatam esse statuant. Terentium solum in Andriae prologo auctorem habemus Plautum fabulas contaminasse, omnia accuratiora indicia desiderantur, ut in hoc artificio statuendo percauti esse debeamus. Equidem huic rei valde diffido et num praeter Militem Gloriosum et Poenulum et Pseudolum, quae iam longitudine notabiles sunt, aliae quoque fabulae Plautinae contaminatae sint dubitari posse censeo. Indicia contaminationis imprimis sunt vitia compositionis, sed huius modi vitia etiam in eis comoediis inveniri posse, quae in uno tantum argumento versantur, nemo negabit qui deliberaverit nonnullos comicos Atticos plus centum comoedias scripsisse, Antiphanem et Anaxandridem vel plus ducentas. Quem magnum numerum qui respexerit, facile intellectu, ne dicam necessarium esse inveniet magnae partis fabularum compositionem ab omni vitio vacuam esse non posse poetasque in singulis perficiendis non admodum anxios fuisse. Huc accedit, quod Plautum in exprimendis fabulis non semper optimos tantum comicos Atticos secutum esse constat, id quod in Persam certe valet, et quod poetae in comoediis, quae non tam ad legendum quam ad agendum destinatae erant, magis id spectabant, ut spectatores faceto et subtili sermone belleque et lepide dictis oblectarent, quam ut accuratius perficiendae compositioni nimium tribuerent vel nimis diligentes essent in respiciendo toto cum damno singulorum.[1])

1) Huic rei imprimis argumento sunt eae scenae, quae tenore solutae actionem magis retardant quam producunt. Neque vero Persa

Ita in universum de contaminatione iudico. Quod ad Persam attinet, tam generalibus deliberationibus non opus est ad probandam fabulae integritatem, quippe quae ex ipso argumento probari possit. Atque primum quidem mirandum est Persam, quae quidem causa est extrinsecus superveniens, brevem esse fabulam octingentorum quinquaginta septem versuum, qui vix uni, nedum duobus argumentis sufficere videntur, cum Miles Gloriosus et Poenulus, quae certe contaminatae sunt, plus mille et quadringentos versus exhibeant. Sed huic rei non nimium tribuo. Certiorem ad exitum perveniemus, si rationibus ab Isendijkio propositis argumentum ipsum denuo iudicio subiciemus. Certe negari non potest Persae argumentum in duas partes dilabi videri, cum in altera id agatur, ut Toxilo argentum ad liberandam amicam a Sagaristione suppeditetur, in altera, Sagaristioni ut argentum reddatur, quod defraudato lenone fit. Sed nemini nisi parum diligenter legenti et examinanti duae actiones dirimi et per se exstare videri possunt. Nam cum iam initio (v. 37) Toxilus Sagaristioni promisisset se ei argentum mox redditurum esse, altera pars fabulae non magis abesse potest, quam, si licet exempla tragoediae afferre, ulteriores partes Sophoclis Aiacis vel Shakespearii Iulii Caesaris, quibus in tragoediis morte personarum primarum, a quibus fabulae denominatae sunt, actiones minime peractae sunt, sed tum demum, cum quaestiones principales expeditae et ad finem perductae sunt. Quamquam negari non potest in Persa alteram partem nimium fere spatium occupare. Sed haec res non miranda est, cum ea pars fabulae in qua leno emungitur poetae meliorem occasionem spectatores facete oblectandi offerret quam prior et cum comici, ut iam supra dixi, saepius cum damno totius rebus singulis lepide depingendis multum tribuerent.

Iam si his in universum praemissis Persae argumentum breviter recognoverimus, inveniemus fabulam iam inde ab initio a poeta ita compositam esse, ut in uno argumento versaretur. Toxilus servus cum ei ad liberandam amicam sescentis nummis opus sit, Sagaristionem amicum orat, ut sibi argentum comparet, quod se brevi post amico redditurum esse expressis verbis affirmat (v. 37: *Quos continuo tibi reponam in hoc triduo aut quadriduo*).[1] Postquam

solum hoc vitio laborat, cum actus II actionem vix promoveat, sed etiam in multis aliis fabulis tales scenae inveniuntur, ut Aul. III 5; Ep. II 1; Pseud. I 2, III 1; Curc. IV 1; Mil. I; III 2; aliae.

1) Haec res maximi momenti est, ut qua duae fabulae partes cohaereant. Quod cum Isendijk neglegentia praeterierit, non mirandum est eum perpetuitatem argumenti desiderare. Contendit enim p. 85 Saga-

Sagaristio promissum dedit, Toxilus, ut iam in antecedente paragrapho p. 156 sq. vidimus, amicum promissum praestaturum esse cum pro certo habeat, domum se recipit simulans se ipsum argentum quaesiturum esse, re vera autem, ut lenoni dolum aliquem nectat (v. 52: *usque ero domi, dum excoxero lenoni malam rem magnam*). Itaque iam hac prima scena duo Toxili consilia significantur. Primum enim Sagaristionis argento amicam liberaturus est, deinde adversus lenonem aliquid agitat. Quas malas artes huic comminiscatur, duabus sequentibus scenis accuratius demonstratur. In secunda enim primi actus scena Saturio parasitus in scenam prodit[1]) et in proxima Toxilus accedit haec verba secum loquens (81 sq.):

Omnem rem inveni, ut sua sibi pecunia
Hodie illam faciat leno libertam suam.

Quomodo lenonem defraudare velit, e sermone, quem cum parasito habet, elucet. Quamquam argentum, quod pridie a parasito petiverat, repudiat (nimirum, cum id a Sagaristione sibi fore pro certo habeat), tamen eum sibi argentum ita reperire posse (133) exponit, ut filiam suam permutato habitu in speciem[2]) lenoni vendat, venditam in libertatem vindicet, quod parasitus se facturum esse promittit. — Itaque iam tribus prioribus scenis fabulae duo Toxili consilia perspicua sunt.[3]) Primum enim, quod iam in prima scena vidimus, Toxilus Sagaristionis argento amicam liberare, deinde parasiti filia in speciem venumdata lenonem argento emungere vult.

ristionem Toxilo argentum suppeditavisse, priusquam is dixisset se statim reddere posse!

1) Parasitus in priore argumento ab Isendijkio ita adumbrato, ut amatori ab amico ad liberandam amicam argentum suppeditetur, nullas partes agit, sed demum in altero. Tamen iam in secunda scena totius fabulae prodit!

2) De lacuna post v. 136 statuenda vide § 5 (p. 166 sqq.).

3) Quam confusa cogitatione Isendijk tenorem actionis sibi fingat, elucet e. g. e pagina 57 dissertationis, quae falso dictis scatet. Duo Toxili consilia prorsus turbat et confundit. Intellegere non potest qui Toxilus parasito dicere possit: *iam nolo argentum* — obliviscitur argentum Toxilo a Sagaristione fore, ut ei parasiti argento opus non sit — deinde cur Toxilus, cum prius lenoni argentum solveret pro Lemniselene liberanda, quam a Sagaristione quicquam accepisset, satis habere non possit, si parasiti filia tantum sibi utenda detur, sed praeterea argento ei opus sit. Hoc prorsus falsum est: nam II 5 Toxilus a Sagaristione argentum accipit et tum demum (III 3) lenoni solvit. Eadem confusione Isendijk pergit duo consilia Toxili turbare p. 63 sq. ad. II 5.

Id unum adhuc obscurum est, cur Toxilus lenonem argento defraudare velit. Nam hoc ea de causa fieri, ut Sagaristioni argentum reddatur, magis suspicari possumus quam e contextu certe colligere, et sequentia demum hoc aperiunt. Secundi quidem actus duae priores scenae nihil fere ad progressum actionis conferunt, nisi quod confidentia Toxili perspicitur, qui adeo non dubitat, quin consilia sua bene eventura sint, ut Paegnium puerum ad amicam mittat, qui eam bono animo esse iubeat. In tertia huius actus scena Sagaristionem gaudentem videmus, quod occasio sibi oblata sit amicum adiuvandi, cum erus sibi argentum ad solvendos boves Eretriae dedisset. In quinta scena Toxilo argentum dat, attamen non prius quam tecte quaesivit, num Toxilus argentum redditurus esset (v. 319: *enim metuo ut possim reicere in bubile, ne vagentur*) et quam Toxilus affirmavit se redditurum esse (v. 320: *ego reiciam: habe animum bonum*). Argento accepto Toxilus denuo expressis verbis confirmat Sagaristionem illud statim recuperaturum esse, v. 324 sqq.:

Atque omne ego argentum tibi hoc actutum incolume redigam.
Nam iam omneis sycophantias instruxi et comparavi,
Quo pacto ab lenone auferam hoc argentum —

Ad quam rem cum Toxilo Sagaristionis auxilio opus sit, domum eum abducit. — Nunc igitur iam nulli dubitationi obnoxium est, cur Toxilus parasitum filiam suam in speciem vendere iusserit. Eo enim consilio fit, ut, quod Toxilus ipse v. 324 sqq. diserte eloquitur, Sagaristioni argentum reddatur.[1]) Hoc alterum Toxili con-

1) Certe Toxilus non expressis verbis Sagaristioni dicit se parasiti filiae opera ei argentum recuperaturum esse; sed hoc supervacaneum fuit, quoniam Sagaristionem statim domum abducit, ubi consilium suum cum eo communicaturus est. Spectatores autem non ignorabant, quas sycophantias Toxilus lenoni comparavisset, cum iam in tertia primi actus scena audivissent, quae Toxilus parasito mandavisset. Isendijk quidem dicit (p. 86) plane et aperte a poeta pronuntiandum fuisse illam venditionem parasiti filiae eo tantum consilio fieri, ut Sagaristioni pecunia redderetur. Diligenter legenti hoc perspicuum est, etiam si non in os ingeritur. Isendijk pergit: „Immo, simulac pecuniam a lenone adepti sunt (sc. Toxilus et Sagaristio), Toxilus etiam metuit, ne Sagaristio cum pecunia aufugiat: cur hic metus, si eo ipso consilio omnis lapis motus esset, ut Sagaristioni pecunia redderetur?“ Quorum ne unum quidem verbum tota Persa exstat, nisi forte Isendijk v. 680 dicit, ubi Toxilus Sagaristionem monet: „*At ne cum argento protinam permittas domum, moneo, te.*“ Quod caute Toxilus, ut antecedentia verba sine ullo dubio docent, eo tantum consilio dicit, ne lenoni suspicio moveatur, si

silium interea exponitur: in prima scena tertii actus parasitus filiam suam docet, quae ei, cum lenoni veneat, loquenda sint eaque primum tergiversata se oboedituram esse pollicetur. In tertia scena eiusdem actus Toxilus sescentos nummos a Sagaristione acceptos (II 5) lenoni pro amica solvit, qui contra se statim Lemniselenem liberam facturum esse promittit. Inde argumentum ita ad finem perducitur, ut iam in eo enarrando vidimus (§ 1). Illa autem res indicat duas partes fabulae iam inde ab initio cohaesisse, quod Toxilus in tertia quarti actus scena, quamquam leno ei nuntiat Lemniselenem liberam et in Toxili domo esse, non statim domum se recipit, ut amica, quam tandem tot difficultatibus superatis recuperavit, fruatur, sed in quinto demum actu Toxilus praesentia amicae frui potest, postquam promissum Sagaristioni datum praestitit et alterum consilium, quo illi argentum recuperetur, ad finem perduxit.

Itaque equidem nulla vestigia contaminationis invenire possum. Quamquam negare non possum fabulam in duas partes dilabi, tamen unusquisque concedet has duas partes, quibus singula Toxili consilia exponuntur, artissime cohaerere neque ullo modo seiungi posse. Et ne discrepantiis quidem et repugnantiis poeta se irretivit, quod quidem Isendijkium contendisse non mirandum est, quippe qui tenorem fabulae non satis perspexerit neque duo Toxili consilia distinguere potuerit. Immo vero poetam argumentum diligenter quidem legenti mira quadam perspicuitate et elegantia explicuisse et ad finem perduxisse iudico.

Praeterea utrumque argumentorum, e quibus Isendijk Persam contaminatam esse vult, tam tenue et exile est et adeo implicatione et nodis caret, ut nullo modo pro argumento totius fabulae poni potuisse videatur. Et ultro ambobus argumentis nulla res communis est nisi quod amatori argentum ad liberandam amicam deest (quam rem nimirum cum multis aliis argumentis communem habent), ut vix intellegi possit, cur poeta ipsa haec duo argumenta confuderit. Accedit praeter alios scrupulos, quos enumerare longum est, quod cum in utroque argumento amatorem hominem liberum fuisse Isendijk contendat, omnino ratio perspici non potest, cur Plautus amatorem servum esse voluerit (cf. p. 153 sq.).

§ 5. Persa cum Curc. Epid. Most. Stich. (Bacch.)[1]) in numero

Pseudo-Persam, qui peregrinum se esse praedicaverat, domum aliquam, non portum petere videat.

1) Initium Bacchidum amissum est.

earum fabularum est, quae prologo carent. Attamen facile fieri potuisse, ut huic quoque fabulae principio prologus praemissus esset, qui quidem iniquitate temporum interisset, docent et Pseudoli prologus, cuius duo tantum versus reliqui sunt, et Epidicus, cuius fabulae prologum primo quidem exstitisse, nunc autem intercidisse cum Friderico Leone[1]) censeo. Et profecto non defuit, qui probabile esse censeret, Persae olim prologum praemissum fuisse. Oscar Seyffert enim, doctus ille et intellegens fabulae palliatae existimator, quem nuper acerba morte litteris abreptum esse valde dolendum est, nonnullas difficultates, quas Isendijk statuit, ita tolli posse censuit, ut prologus intercidisse sumeretur.[2]) Contrariam sententiam profert Fridericus Leo[3]), qui prologum non desiderat.

Iam in antecedente paragrapho demonstrare conatus sum repugnantias, quae Isendijkio actionem Persae turbare videbantur, omnino non exstare et actionem a poeta clare et distincte indicatam et ad finem ita perductam esse, ut nihil desideraretur, quod ad actionem melius intellegendam in prologo explanandum esset. Itaque neminem dubitaturum esse puto, quin Leo hac in re recte iudicaverit, quo iudice colloquio Toxili et Sagaristionis, quod prima totius fabulae scena continetur, actio plane exposita est: Toxilus Sagaristionem amicum rogat, ut sibi argentum ad liberandam amicam suppeditet. Amicus promissum dat et Toxilus significat se lenoni dolum quendam nexurum esse. Continuo in altera scena actio incipit, cum parasitus introducitur, cuius auxilio fallacia in lenonem composita perficiatur.

Sane mirandum est dolum, quem Toxilus lenoni illaturus est, uno tantum versu (52) significari, ubi subito leno commemoratur, de quo ne unum quidem verbum usquam antea factum est. Sed quamquam confitendum est nimis fere brevibus verbis a poeta hoc Toxili consilium significari et iure hunc vel illum exspectare Toxilum aut hoc loco aut in prologo duo consilia sua accuratius explicare et quem dolum lenoni compositurus sit et quae ratio inter ipsum et illum intercedat, tamen unus ille versus sufficit. Nam

1) Plaut. Forsch. p. 179 sqq.

2) Ann. Burs. 1886, 1 p. 111: „Vielleicht ist manches noch durch die Voraussetzung eines Prologs zu erklären, in welchem auch dem Publikum Aufklärung über die eigentümliche Stellung des Toxilus gegeben sein konnte, wie im Prolog der Casina über die serviles nuptiae".

3) Plaut. Forsch. p. 177; „eine Voraussetzung, die außerhalb der Handlung (scilicet in prologo) mitgeteilt werden müßte, enthält das Stück nicht."

neque Sagaristio, cui Toxilus illa verba dicit, neque spectatores, cum illum versum audiverunt, ullo modo in incerto fuerunt, quas partes leno ageret, cum ex Toxili cum Sagaristione colloquio percepissent illum amare neque habere, unde amicam redimeret. Ubi, quaeso, meretrix, quae ne sempiternam servitutem serviat (34) amator metuit, in comoedia versari censenda est nisi in potestate lenonis? Itaque Sagaristio et spectatores, ubi audiverunt Toxilum lenoni malam rem magnam excocturum esse, statim intellexerunt Toxilum erum amicae suae ulturum esse, ut hoc uno versu sequentia satis explicentur. Ne id quidem opus fuit, quod Seyffert censuit, spectatoribus in prologo liberiorem Toxili condicionem explanari. Nam cum spectatoribus et Romanis et Graecis condicio dispensatoris satis cognita erat, tum primae scenae verba *iam servi hic amant* (25) et *erus peregrist* (29) inusitatam in comoedia Toxili condicionem satis indicant.

Ad quos locos Seyffert praeterea spectet, cum dicit nonnullas difficultates tolli posse, si prologus intereidisse sumatur, cogitatione assequi non possum, cum nullus locus mihi tam obscurus esse videatur, qui singulariter extra actionem explicari debeat, nisi forte de tertia primi actus scena cogitat, cui quidem, uti nunc est, explicatione opus est. Hac enim in scena (v. 134—147) Toxilus a Saturione postulat, ut filiam suam ipsius gratia vendat, et Saturio, quamquam primo gravatur, tamen minis Toxili commotus se ei morigeraturum esse pollicetur. Atque fieri non potuit, quin Saturio, priusquam promissum dedit, erudiretur filiam suam non re vera, sed in speciem tantum vendendam esse. Quis enim pater, etiamsi parasitus sit, filiam suam ventris causa vendit? An poeta consulto Toxilum non addentem fecit virginem in speciem tantum venire, ut nequitiam parasiti demonstraret, cuius nimiam aviditatem comicos mirum in modum augere et libenter cavillari iam supra vidimus? Quamquam non prorsus negaverim poetam tale quid re vera sequi potuisse neque occasione data veritum esse parasiti deridendi causa fidem veritatis parum servare, tamen eis quae secuntur commotus eum hoc loco tale consilium habuisse nego. Ex praeceptis enim, quae Toxilus Saturioni in sequentibus dat, quae hic in vendenda virgine observet, apparet et venditionem in speciem tantum fieri et Saturionem hoc non ignorare. Ideo fieri non potest, quin parasitus antea a Toxilo hac in re eruditus fuerit, quod nullo aptiore loco factum est quam post versum 136, ubi iam Ritschl et Goetz et Ladewig[1]) lacunam statuerunt. Aeque constat signi-

1) Philol. XVII p. 474 sqq.

ficationem venditionis in speciem faciendae a poeta hac in scena ac non in prologo amisso factam esse, cum nimirum non plus spectatores quam Saturio scirent oporteret virginem non re vera, sed specie ad defraudandum lenonem venire.

II De retractatione.

§ 6. Cum in magna parte eorum, quae adhuc disputavi, maxime id studerem, ut ostenderem pleraque vitia, quae parum diligenter examinanti in Persa exstare videri possent, iniuria statuta et re vera omnino non esse, hac in parte commentationis in animo habeo, ut Plautum ipsum tuter a criminibus eorum, qui e vitiis compositionis, quae ut adhuc silentio praeterii ita re vera exstant, poetam saepius nimis neglegenter se gessisse censent. Et profecto in Persa non mediocria menda insunt, quae tam conspicua sunt, ut, ab ipso Plauto si originem traherent, efficerent, ut de ingenio Plauti valde dubitarem eumque inter mediocres admodum poetas numerarem. Sed bene contingit, quod nullo loco tam male de optimo Romanorum comico existimare cogimur. Scimus enim certis testimoniis imprimis e Casinae prologo, quo poetae quanta gratia apud spectatores fuerit affirmatur, Plautinas fabulas, cum poeta iam mortuo „studiose expeterentur“, iterum atque iterum actas esse. Quod cum fieret, fabulas non semper ita, ut e manibus poetae processerant, actas esse verisimillimum et iam dudum a viris doctis cognitum est, cum nimirum dominus gregis, cuius in manibus fabulae scriptae erant, ratione habita sui ipsius ingenii et arbitrii mutataeque spectatorum voluntatis et iudicii contextum modo augeret, ubi e re esse videretur, modo contraheret, ubi propositum spectatoribus suae aetatis non iam placere censeret. Qua ratione et alias fabulas et Persam mutationes non mediocres subiisse viri docti iure coniecerunt. Et profecto in Persa quidem actio modo ita festinatur et tam incredibili celeritate ad finem perducitur, vix ut a poeta ipso ita eam compositam, immo postea ab alio circumcisam et contractam esse facile putes, modo quasi ut ea, quae contracta erant, compensarentur, actio fusius aucta et uberius deducta esse videtur quam ut Plautum ipsum talibus ambagibus actionem tardavisse verisimile sit. Itaque Friderico Ritschelio[1]) „hanc fabulam non talem, qualis exstat, prodiisse e manibus poetae, sed aliquam cum iniquitate temporum tum hanc

1) Praef. p. IX.

insecuto διασκευαστοῦ artificio mutationem subiisse" persuasum est, neque Fridericus Schoell[1]) aliter iudicat, quibus alii assentiuntur. Ego quoque cum huic retractatoris artificio magnam partem vitiorum, quae non raro tanta sunt, ut vel mediocrem poetam ea admisisse vix credamus, tribuendam esse persuasum habeam, hac in parte commentationis meae quaeram, quaenam maxime partes Persae et quatenus a retractatore mutatae esse censendae sint, ita ut primum de locis a retractatore additis, deinde de contractis disputem. Incipiam de locis a retractatore additis.

Non casu fit, ut locos postea additos prius tractem quam postea contractos: cum enim his statuendis nulla alia ansa sit, nisi quod aliquid desideratur, quod ad progressum fabulae intellegendum in contextu exstiterit oportet, illi facilius cognosci et retegi possunt, non quo versus additi deteriores sint aut multum a Plautina dicendi ratione abhorreant, sed quia loci postea inserti multas discrepantias, quae ad rem et tenorem actionis pertinent, prae se ferunt. Nimirum ei, qui pauciores vel plures versus inserendos putabant, ut erant parum versati in componendis fabulis, non tam id spectabant, ut tenorem fabulae servarent, quam ut spectatores oblectarent. Itaque cum ipsi parum ingeniosi et acuti ad excogitandas novas sententias et facetias essent, aegre quicquam novi attulerunt et quae Plautus alio loco facete et lepide dixerat, male repetiverunt: quo factum est, ut eadem sententia, quae ubi primo exstat optime in contextum quadrat, alio loco repetita tenorem turbet. Quin etiam illi viri, paene scripsi docti, adeo erant in quaerendis novis verbis earundem sententiarum remissi et patientes, ut eosdem versus saepius ad verba repeterent. Itaque ubi unus vel alter versus aliunde repetitur, non deest suspicio vicinos quoque versus non Plauti esse sed postea demum additos, et ubi talis dittographia quam dicere solent in contextum non quadrat aliaeque discrepantiae sive verborum sive tenoris accedunt, totum locum postea insertum esse pro certo habeo. Ergo in sequentibus, ubi de locis postea additis acturus sum, magna vis tribuenda erit dittographiis, quippe quae suspicionem moveant locum turbatum esse. Accedit alterum indicium, quo vestigia retractationis facile cognosci possunt. Retractatori enim, ubi locum quendam inseruit, id potissimum spectandum erat, ut ultimus versus loci insitivi apte congrueret cum verbis propositi, cum hoc rursus sequeretur. Itaque plerumque invenies finem versuum insitivorum eadem vel

1) Praef. p. XIX.

similia verba exhibere atque eum versum, quo retractator a proposito recesserat, ut sequentia verba propositi locum insertum exciperent.

Itaque ratione exposita, qua vestigia retractationis retegi possunt, locos additos ipsos recognoscamus. Ac primum quidem agendum est de versibus 441—443, quos dittographiam esse versuum 433—436 manifestum est. Qui versus ita leguntur (433 sqq.):

Do. *Mirum quin tibi ego crederem, ut tu idem mihi*
Faceres, quod partim faciunt argentarii:
Ubi quid credideris, citius extemplo foro
Fugiunt, quam ex porta ludis quom emissust lepus.

et 441 sqq.:

To. *Fortasse metuis in manum concredere?*
Mirum ni[1]) *citius iam a foro argentarii*
Abeunt, quam in cursu rotula circumvortitur.

Versus 441—443 iam Guyetus expunxit, cum eos dittographiam versuum 433 sqq. continere putaret. Eius sententiam secuti sunt Osann[2]), Ritschl, Ladewig[3]), Langen[4]), Oscarus Brugmann[5]), Schoell, cum Goetz[6]) de simplici interpolatione cogitaret. Quod quamquam concedi possit de versu 442, qui ex vocabulis versuum 433—435 consutus sit, tamen non cadere in versum 443 Brugmann recte dicit. Hoc enim in versu facile cognoscitur artificium retractatoris, qui, ne mirum esset eandem sententiam exiguo intervallo intermisso repeti, eum paulum mutandum putavit, cum pro perspicua imagine fugae leporis minus dilucidam rotationis currus rotarum poneret. Neque enim quisquam negabit fugam argentariorum melius comparari cum fuga leporum animalium quam cum versatione rotarum inanimarum. Praeterea etiamsi illos versus meram interpolationem esse putaremus, tamen eis expunctis tot difficultates relinquerentur, totum locum ut integrum esse vix verisimile esset. Itaque versus 441—443 non interpolatione in contextum illatos esse, sed consulto retractatoris artificio totum locum additum esse cum Langeno persuasum habeo atque ea quidem deliberatione commotus, quam fusius persequi liceat. Atque primum

1) *ni* pro *quin* Langenus. 2) Anal. p. 202 sq.
3) Phil. XVII p. 472.
4) Plaut. Stud. p. 333 sq. 5) De „ni“ particula p. 18 sq.
6) Act. soc. phil. Lips. VI p. 266.

quidem illi versus, in quibus celerrimae argentariorum fugae imago adhibetur, ubi primum extant, (433 sqq.) optime in contextum quadrant. Hoc enim loco Toxilus Dordalo dicit se idcirco ei iratum fuisse, quia sibi argentum credere nollet. Cui leno respondet se satis stultum futurum fuisse, si ei argentum credidisset: neque enim dubium esse, quin ille idem fecisset quod plerumque argentarii: quos, si quid creditum esset, statim celerius foro fugere, quam ludis leporem, cum e porta emissus esset. Contra altero loco (447 sqq.) eadem sententia minus apte contextui convenit et ultro aliae difficultates accedunt. Dordalus secum considerat, cui argentum a Toxilo modo acceptum spectandum det, utrum probum sit necne (440). Mirum est lenonem, qui in argentaria satis versatus esse censendus est, nescire cui argentum spectandum det, ut totus versus ea maxime de causa a retractatore additus esse videatur, ut occasionem, quamvis pessimam, haberet illud de argentariis v. 433 sqq. facete dictum repetendi. Toxilus enim, quamquam Dordalus v. 440 secum deliberasse censendus est, tamen v. 441 ex eo quaerit: *fortasse metuis in manum concredere?* scilicet argentario, qui argentum spectet. Quamquam persona non nominatur, cui ne argentum concredat leno metuit, tamen argentarius fuisse censendus est; itaque hoc versu addito retractatori occasio oblata est illas de argentariorum fuga facetias repetendi, quae quin spectatoribus magnum gaudium attulerint non dubium est, attamen pessima: nam cum Toxili maxime interesset hanc rem quam celerrime expediri, ut argento spectato statim amica eius a lenone libera fieret, exspectandum erat illum lenonem adhortaturum fuisse, ut sine cura argentariis argentum concrederet: sed ipsum contrarium dicit et lenonis metum auget, cum argentarios argento accepto celerius a foro abituros esse dicat, quam rota in cursu circumvertatur. Neque sequentes versus discrepantiis carent, quas Langen l. s. s. detexit. Et iure miramur, cur Toxilus lenonem travorsis angiportis ad forum ire iubeat et cur tanti aestimet, ut amica occulte per hortum ad se veniat, cum in quinto actu aperte cum ea epuletur. Accedit quod via per angiportum et hortum, quae etiam in aliis comoediis saepius occurrit, hoc loco nescio an male repetita sit ex v. 678. 679, ubi optime in contextum quadrat, cum hoc loco ratione careat. Hucusque Langeno plane assentior. Sed quod de ultimis huius scenae versibus (447. 448) dicit, probare non possum. Miratur enim neque intellegere potest, cur Toxilus amicam cras demum deis gratiam pro manumissione agere velit (447 *supplicatum cras eat*). Simplicissima est causa et facillima intellectu:

quia nimirum id potissimum Toxilus cupiebat, ut amica sine mora frui posset neve haec sacrificando tempus tereret. Itaque hic versus minime offensioni est, immo genuinum eum esse puto et Plauti ingenio dignissimum. Neque retractatori, qui quam misere et serviliter Plautinas sententias repetiverit ex antecedentibus versibus elucet, tam novam et singularem sententiam imputaverim, cuius neque antea neque postea iterum mentio fit. Ut paucis absolvam, non versus 440—448, ut Langen et qui eum secutus est, Schoell, sed versus 440—446 tantum a retractatore additos esse persuasum habeo. Haec statuenti vestigia retractationis aperta sunt: ultima enim verba Dordali ante locum insitivum sunt: *iam faxo hic erit* (439). Tum secuntur septem versus additi (440—446). Quorum in ultimo rursus exstant verba: *iam hic faxo aderit,* metri ratione habita paululum conversa et mutata, et ad versum supplendum additum est: *at ne propalam.* Perspicue igitur elucet retractatorem verbis *iam hic faxo aderit,* quibus ab exemplo Plautino recesserat, rursus ad propositum redire admodum quidem serviliter, sed ratione minime mira et misero retractatoris ingenio dignissima. Itaque cum totum versum 447 Toxilum loquentem facimus, omnia optime conveniunt, ut inde a versu 437 sic legi velim:

437. To. *Nummi sescenti hic erunt*
438. *Probi, numerati: fac sit mulier libera*
439. *Atque huc continuo adduce.*
Do. *Iam faxo hic erit.*
447. To. *Sapienter sane: supplicatum cras eat.*
448. Do. *Ita hercle vero.*
To. *Dum stas reditum oportuit.*

Quodsi ita scribimus, versus 447 sententiam versus 439 optime excipit et verba *continuo adduce* explicantur verbis *supplicatum cras eat:* Toxilus dicit se amicam continuo adesse neque diis gratiam agendo et sacra faciendo tempus perdere velle. Quod denique Langen versu 448 offenditur dicens Toxilum sine ullo iure Dordalum tarditatis arguere, cum Toxilus ipse morae causa sit, quippe qui illum rursus atque iterum admonens abire prohibeat, id leve et inane est. Nam et talia verba ut *dum stas reditum oportuit* saepius apud Plautum legas, ubi significatur, aliquem morae impatientem vix tempus exspectare posse, dum quod velit perfectum sit, et Toxilus satis arrogans et insolens est, qui causam tarditatis non sibi, ut aequum erat, sed Dordalo subiciat. Illud quoque contra Langenum, qui v. 439 finem scenae esse vult,

nescio an non iniuria monendum sit hoc modo scenam nimis celeriter et abrupte ad exitum properare.

Non mediocrem difficultatem praebent deinde septima et octava quarti actus scenae, ubi viri docti magnas lacunas et perturbationes statuendas esse putaverunt. Postquam Sagaristio cum argento a lenone accepto abiit, hic Toxilo gratias agit, quod sibi in emenda virgine bonam operam dederit. Subito autem domum properat, cum *quae voluerit edicta, edicere oblitus sit,* et qui paucis versibus ante metuerat, ne quis virginem modo emptam in libertatem vindicaret, eam Toxilo servandam relinquit. Dum domi versatur, Toxilus Saturionem evocatum secedere iubet idque eisdem duobus versibus usus, quibus iam IV 2 Sagaristionem secedere iusserat. Postquam Saturio secessit, in sequenti scena Dordalus rursus foras egressus se omnes servos loris transcidisse dicit, quod supellectilem et domum squalentes non purgavissent. Tum Toxilo denuo gratias agit et hic statim abit cum Lemniseleni se inclinaturus.

In his multa sunt quae gravissime offendant. Primum enim omnino intellegi non potest, cur Dordalus domum abiens virginem non statim secum ducat. Neque enim quicquam obstabat, quominus id faceret: postquam Sagaristioni pretium pro virgine solvit et hic abiit, virgo lenonis erat et exspectandum fuit eum statim cum praeda sua se domum recepturum esse, praesertim cum valde timeret, ne quis virginem manu assereret. At ipsum contrarium facit: virginem relinquit et solus domum abit, quasi virgine statim secum ducta impediretur, ne servis mandata daret eosque verberaret! Non minus mirandum est Toxilum diutius in scena versari neque recusare, quominus servanda virgine tempus perdat. Nam cum maxime eius, ut iam vidimus, interesset amica, quae iam dudum a Dordalo apud praetorem libera facta erat, quam celerrime frui, expectandum fuit eum, ubi hospiti eri sui operam dedit isque abiit, statim domum properaturum et cum amica se inclinaturum esse: contra in scena versatur et inimico suo gratum facit. Tum suspicionem movent versus 727 sqq.:

Age illuc abscede procul e conspectu: tace.
Ubi cum lenone me videbis conloqui,
Tum turbam facito.

Duo priores versus ad verba fere repetiti sunt e versibus 467. 468[1]),

1) Non possum probare argutias, quibus nisi Ussing et partim eum secutus Leo hos versus in suspicionem vocare conati sunt: cf. Kellermann de Plauti sui imitatore (Diss. Ien. 1903) p. 155 ad Pers. 2.

nisi quod in v. 467 inter verba *conspectu* et *tace* „*et*" insertum est, quod in v. 727 omnes codices sine spatio omiserunt.[1]) Quamquam fieri potuit, ut Plautus ipse neglegentiae indulgens duo versus ad verba repeteret, tamen res mira est, et suspicio augetur, cum aliae difficultates accedant. Atque primum quidem versum 730 *(tunc, quando abiero* — Sat. *Quin taces? scio quid velis)* solus A exhibet, quem versum ea tantum de causa hoc loco ab interpolatore insertum esse, ut quod in antecedentibus versibus peccatum esset sarciretur, Goetz iure coniecit. Tum versus 731. 732 scenae octavae, praeterquam quod verbum 'praecidere' hoc uno loco apud Plautum exstat, perspicue speciem centonis prae se ferunt. Leno enim domo egressus duobus versibus praedicat se domi omnes verberasse, quia supellex et aedes squalerent. Quibus versibus is, qui composuit, probabile reddere videtur, cur leno domum abierit, sed adeo imperfecta et manca ratione utitur, ut melius fecisset, si nihil dixisset. A Plautina quidem arte tam rudia et inscita plane abhorrent. In sequenti quoque versu transitus a Dordali verbis ad Toxili nimis abruptus et rudis est. Toxilus lenonem interrogat: *redis tu tandem?* et hic respondet: *redeo:* tum subito Toxilus: *Ne ego hodie tibi bona multa feci,* ad quod Dordalus ei iterum gratias agit. Ergo rursus eandem rem tractant, quam priusquam leno domum abiit, illo tantum discrimine interposito, quod priore loco e sermone sequitur, ut leno Toxilo gratias agat, altero loco autem haec res arcessita est.

Tot discrepantiis, quas partim iam alii ante me, partim ego ostendimus, commoti viri docti animum induxerunt, ut hoc loco magnas lacunas statuendas putarent, cum Plauto tantam inscitiam artis scenicae vix imputare auderent. Goetzio quidem posterior quarti actus pars iam inde a quinta scena usque ad finem suspicionem movet[2]), ut de maioribus lacunis cogitet. Ladewig quoque in

1) Quam lectionem editio Schoellii praebet, qui post *tace* interpunxit, minus probanda est, cum Saturio turbam faciat non ubi Toxilum cum lenone colloqui videt, sed tum demum, cum ille abiit. Itaque Isendijk post *conspectu* interpunxit et *tace* cum sequenti versu coniunxit. Qua ratione quamquam sensus corrigitur, tamen quomodo ille versus in hunc locum irrepserit, non explicatur neque reliquae difficultates tolluntur.

2) Quod ad septimam, octavam, nonam scenam attinet, plane ei assentior discrepantias et ineptias statuenti. Sed quod quintam et sextam quoque scenam neglegenter compositas esse dicit, facere non possum, ut eius sententiam sequar, cum hisce in scenis ne minimum quidem invenire potuerim, quod offensioni sit. Ne illud quidem probare possum,

scena septima illos versus 727. 728 ad lacunam in contextu Plautino explendam repetitos esse censet et Isendijk „magnas perturbationes atque lacunas esse indicandas“ putat. Mihi alia ratio placuit, qua ex mea quidem sententia omnes difficultates septimae et octavae scenae tolluntur. Versus 721 posteriorem partem et sequentes usque ad versus 734 priorem partem expungendos esse puto ut a retractatore additos, ita ut inde a versu 718 sic legi velim:

718. To. *Crédidi gratúm fore*
719. *Benefícium meum apud téd.* Do. *Immo equidem grátiam*
720. *Tibi, Tóxile, habeo: nám te sensi sédulo*
721a. 734b. *Mihi dáre bonam operam; fáteor habeo grátiam.*
735. To. *Num quippiam aliud mé vis?* Do. *Ut bene sít tibi.*
736. To. *Pol istúc quidem omen iám ego usurpabó domi:*
737. *Nam iam inclinabo mé cum libertá tua.*

Hoc quoque loco perinde ac priore, quem a retractatore additum esse vidimus, vestigia retractationis facile cognoscuntur. Eandem rem, qua ab exemplo Plautino recesserat Dordalum Toxilo gratias agentem faciens, retractator rursus tractat, cum ad propositum redeat atque eo consilio, ut sequentia verba antecedentibus conveniant. Sed quam longe arcessita illa gratiarum actio altero loco sit, iam supra demonstravi. Quae retractator inseruit, discrepantiis et ineptiis plena et certe retractatore, non Plauto digna sunt. Illius inscitiam redolet, quod Dordali discessus a scena omnino non probabilis redditur, quod trita verba, quae alioqui et hac in fabula et in ceteris inveniuntur, retractatoris inopia proprii consilii et sententiarum exstant et locum insitivum maximam partem explent: versus 727. 728 quidem ex altera quarti actus scena repetiti sunt, verba *numquid moror* (726) in eadem scena iam exstant (462), verba *dictum sapienti sat est* (729) et *quin taces? scio quid velis* (730) trita sunt et saepius similia legas apud Plautum et apud

quod virginis responsum, quod Toxilo sapientiam eius laudanti dat (674. 675), parum moribus virginis respondere dicit. Certe virgo vehementer recusat, ne inhoneste quasi serva vel etiam specie veneat et lepidis verbis patri dedecus et infamiam propositi ostendit; sed quae in lenone emungendo tantam calliditatem et versutiam et paene nequitiam prae se fert, ei talia verba proverbii loco celebrata, qualia Toxilo respondet, imputare non dubito.

Terentium (Phorm. 541: *Ah, dictum sapienti sat est*). Tum verba lenonis domo redeuntis (731. 732) inepta et tenuia sunt et similibus locis aliarum fabularum assimilata esse videntur. Denique verba *bona multa facere* (734) hoc loco non proprie exstant, sed iam v. 263 inveniuntur, item Poen. 1216, Cas. 468.

Quodsi ad extremum quaerimus, quo consilio retractator hunc locum inserendum putaverit, me errare non puto, si eum — ut mittamus quod ei magnum gaudium attulit lenonem se servos loris transcidisse dicentem facere — id potissimum studuisse dico, ut spectatoribus adventum Saturionis filiam in libertatem vindicaturi ostenderet. Qua in re fortasse recentiores quoque ei assentiuntur opinantes ad tenorem fabulae demonstrari opus esse Saturionem in propinquo versari, ut statim occasione data prorumpat, qua de causa nescio an similia iam apud Plautum exstitisse coniciant. Mihi autem minime opus esse Saturionis adventum demonstrari, immo multo efficacius et ad eventum valentius esse videtur Saturionem et lenoni et spectatoribus inopinatum in scenam prorumpere et lenoni praedam, quam iam domum abducturus erat, subito eripere. Et si quis cum pulvisculo rem exhaurire velit, periculum lenoni imminens et adventus Saturionis iam satis demonstrata esse videntur metu lenonis, quo v. 714—718 captus est:

Illequidem iam scit quid negoti gesserit,
Qui mihi furtivam meo periclo vendidit.
Argentum accepit, abiit: qui ego nunc scio,
An iam adseratur haec manu? quo illum sequar?
In Persas? nugas.

Quodsi continuo post hos versus et postquam Toxilus quam paucissimis verbis perditis domum abiit (neque enim intellegi potest, cur diutius in scena versetur) lenonis metus exitu comprobatur et Saturio ei praedam eripit, hoc multo efficacius est quam si fusius Saturionis adventus demonstratur, praesertim tam inscita et inepta ratione, qua hoc loco fit. Poetae quoque consilium fuisse, ut ubi primum Sagaristio cum argento abiit, Saturio statim filiam suam in libertatem vindicaret, dilucide apparet e tertia primi actus scena, ubi Toxilus Saturionem edocet, quid rei ei gerendum sit (v. 162 sqq.):

To. *Nam ubi ego argentum accepero,*
Continuo tu illam a lenone adserito manu.
Sat. *Sibi habeat, si non extemplo ab eo abduxero.*

Saturio igitur semper custodire et dum filiae venditio fit in propinquo adesse censendus est, neque opus est eum a Toxilo de officio suo admoneri, cum ex sua re esset filiam in libertatem vindicare.

Restat finis fabulae, cuius versus 833—851 postea additos[1]) esse Isendijk iure coniecit. Mihi quoque illa lenonis cavillatio et vexatio et Toxili sociorum convivium fusius extenta et paene intolerabiliter producta esse videntur et argumentis, quibus nisus ille vir doctus hanc partem fabulae postea demum additam esse conclusit, nihil habeo quod addam, nisi quod versus 845 *(hicin Dordalus est leno, qui hic liberas virgines mercatur?)*, praeterea quod parum apte in contextum quadrat, ea quoque re suspicionem augere mihi quidem videtur, quod manifesto ad versum 749 expressus est, qui ita legitur: *qui hic commercaris civis homines liberos.* Multo hercle melius versum 832 et antecedentes, ubi Sagaristio lenonem deridet, versus 852 sequitur, ubi idem Sagaristio lenonem per ludibrium interrogat, quid illi sescenti nummi agant, quam versus 833, ubi Toxilus praeter exspectationem et ex vano socios ad ludificandum Dordalum iterum adhortatur.

§ 7. Postquam artificium retractatoris non mediocres locos in contextum Plautinum inserentis vidimus, iam facilius erit rationem agnoscere, qua locos quosdam contraxit. Hic autem ea difficultas oritur, ut non semper satis certe diiudicare possimus, utrum Plauto ipsi an retractatori tribuendum sit, ubi exemplum Graecum concisum esse videtur. Cum enim lacunis statuendis nulla alia ansa sit, nisi quod aliquid deest, quod ad progressum fabulae intellegendum exstitisse oportet, saepe in opinione singulorum magis quam in certis argumentis positum est, utrum quis retractatori potius inscitiam artis scenicae et neglegentiam tribuere velit an ipsi Plauto. Illud tamen verisimilius esse et ea re probatur, quod Plautum elegantem comicum esse scimus, et quod retractatorem exemplum Plautinum non mediocriter mutavisse proxima paragrapho vidimus. Qui enim non veritus est tam amplos locos in contextum inserere, is etiam alios locos, si lubuit, contraxisse facile censendus est. Itaque ubicunque res incerta est, utrum Plautus an retractator peccavisse putandus sit, semper ad

1) P. 81 sqq. Ambigit, utrum de contaminatione cogitandum an hi versus postea additi esse censendi sint, ut fabula satis brevis, qualis nunc exstat paulum extenderetur. Hoc sine dubio rectius est, cum illa quae de contaminatione protulit, nugas esse iam viderimus.

eam sententiam inclino, ut illum culpa absolvam, hunc vitium commisisse putem. Hac ratione, quam sequar, exposita propositum ipsum tractemus.

Quae scena maxime Ritschelium commovit, ut de diasceuastae artificio, quo fabula contracta esset, cogitaret, nona est actus quarti, qua in scena „post venditam Saturionis filiam mirum in modum nec usitata Plauto festinatione exitus fabulae praecipitetur.“ Hoc enim loco id agitur, ut, postquam Sagaristio argento accepto abiit, Saturio repente progressus virginem a lenone emptam filiam suam vindicet illumque vix resistentem in ius trahat. Quae cum quattuordecim tantum versibus contineantur, non abest suspicio, quin contracta sint, praesertim cum antecedentes scenae atque maxime ea, in qua virgo lenoni venit, rem fusius et admodum multis verbis persequantur, ita ut nona scena comparata cum ceteris nimis brevis esse videatur. Itaque omnibus fere viris doctis, qui de Persa egerunt, haec scena contracta esse visa est. Atque Ritschelius, quamquam quasnam potissimum res desideret, accuratius non exponit, tamen hanc fabulae partem tantopere circumcisam esse putat, ut „inde insolita brevitas totius fabulae aliqua saltem ex parte repeti possit.“ Ritschelii sententiam sequitur Schoell, qui eius verba repetit. Goetz[1]) non solum nonam quarti actus scenam contractam esse, sed etiam quinque posteriores huius actus scenas iam inde a quinta[2]) mutationem subiisse censet. At ne hic quidem vir doctus conicere ausus est, quid maxime excidisse censendum sit. Langeno[3]) autem non tam multa quam Ritschelio excidisse videntur. Tum Isendijk[4]) hanc scenam valde circumcisam esse ratus et coniectura periclitatus, quid olim exstitisse videatur, res affert, quas ego quidem iterum iterumque meditatus non utique desideravi. Miratus enim Saturionem et filiam tam paucis verbis inter se salutare et Dordalum Saturioni virginem filiam suam vindicanti statim fidem habere seque periisse persuasum habere exspectavit lenonem negantem Saturionem et filiam vera loqui, quam iure se possidere persuasum haberet, virginem obtinere conatum esse et „utrumque silvam conviciorum et exsecrationum in caput inimici effudisse“, quae res optimam poetae occasionem obtulisset „plurimas facetias salesque adhibendi.“ Quod salutationem inter patrem et filiam mancam esse dicit, recte dicit, cum profecto exspectandum sit patrem, qui filiam e terra remota

1) L. l. p. 300 sqq. 2) Vide huius commentationis p. 173 adn. 2.
3) Plaut. Stud. p. 335. 4) L. l. p. 74 sq.

diu investigavit investigatamque denique invenit, multo pluribus et laetioribus verbis salutaturum esse, quod idem in filiam valet. Sed quae de verbis et ratione Dordali suspicatur, eis assentiri non possum: immo recte se habere hoc loco actionis festinationem puto. Leno enim satis superque monitus erat, ne virginem liberam suo periculo emeret, ac primum quidem in epistula, quam Toxilus ei ab ero suo perlegendam tradit (v. 524 sq.):

Ac suo periclo is emat, qui eam mercabitur:
Mancipio neque promittes neque quisquam dabit.

Quo audito statim lenonem piget virginem emere, cum haud ignoret gravissimum supplicium sumi de eo, qui, cum liberos homines emat, facinus ἀνδραποδισμοῦ committat. Itaque continuo Toxilo respondet minime sibi opus esse litibus et tricis neque se argentum suum foras enumerare velle (530. 531). Et pergit (532):

Nisi mancipio accipio, quid eo mi opus est mercimonio?

et 534 sq.:

Metuo hercle vero: sensi ego iam compluriens
Neque mi haud imperito eveniet, tali ut in luto haeream.

Tamen quamquam tali in re iam saepius acerba expertus est, natura lenonia vincit et hortante Toxilo virginem emere constituit. Ac rursus a Sagaristione, priusquam pretium indicat, commonetur se illam suo periculo emere (589):

Prius dico: hanc mancupio nemo tibi dabit. iam scis?

nec minus a virgine satis claris verbis (653 sqq.):

Iam hoc tibi dico: actutum ecastor meus pater, ubi me sciet
Venisse huc, ipse aderit et me abs te redimet. —
— Nam etsi res sunt fractae, amici sunt tamen

et postremo a Sagaristione (665):

Tuo periclo sexaginta haec dabitur argenti minis.

At monentium verba iam nihil proficiunt: avaritia lenonis maior est, quam ut lucrum in praesentia faciendum prae periculo futuro omittat et praedam manibus emittat: virginem emit. Continuo autem, ubi argentum e manibus dedit et Sagaristio abiit, leno lucro suo gaudere nequit et quam stulte fecerit sentit (714 sqq.):

Illequidem iam scit, quid negoti gesserit,
Qui mihi furtivam meo periclo vendidit.

Argentum accepit, abiit: qui ego nunc scio,
An iam adseratur haec manu? quo illum sequar?
In Persas? nugas.

Itaque facile intellegi potest et optime a poeta probatum est lenonem, ubi primum patrem virginis advenisse audivit, statim se periisse sentire, cum id quod timuerat evenire videret, neque omnino dubitare, quin Saturio vera loqueretur. Qua de causa cum se libera virgine empta magnum facinus commisisse et in manifesto *ἀνδραποδισμῷ* teneri sibi conscius esset, cavendum ei erat, ne conviciis in patrem virginis collatis eum plus irritaret, immo suppliciter eum implorare debuit, ut sibi parceret et a causa *ἀνδραποδισμοῦ* desisteret. Et tale quid re vera apud Plautum exstitisse, a retractatore autem omissum esse, ex alia quoque deliberatione sequitur, ad quam quinti actus ratione habita perducimur.

Iure enim miramur in quinto actu Saturionem parasitum, qui ventris tantum causa se Toxilo operam dare praedicaverat, non interesse convivio, quod hic omnibus quorum opera dolus prospere evenerat comparavit. Neque minus mirandum est lenonem, quem in fine quarti actus a Saturione in ius raptum esse scimus, unde propter magnitudinem criminis vix ei redeundum fuit, in quinto actu rursus in scenam prodire et nos omnino non certiores fieri, quid inter Saturionem et Dordalum in foro actum sit. Itaque Wilamowitz[1]) coniecturam fecit, quae aliqua saltem ex parte magnam probabilitatem prae se ferre mihi quidem videtur. Atque ratus non retractatorem, sed Plautum ipsum hanc partem fabulae contraxisse haec fere exponit: leno virginem furtivam liberam suo periculo emit, ita ut neque vadem emptionis neque testem habeat neque syngrapham, qua se bona fide egisse probare possit. Itaque a patre virginis in ius rapitur, cum in manifesto *ἀνδραποδισμῷ* teneatur, in quo qui deprehenditur Attico iure recta via ad undecimviros eundum est, apud quos de capite agitur. Itaque cum nihilominus Dordalus in quinto actu rursus in scenam prodeat neque Saturio cenae a Toxilo paratae intersit, fieri non potuisse concludit, quin in exemplo Attico leno, ne lite capitis implicaretur, magna pecunia data a Saturione impetraret, ut a causa *ἀνδραποδισμοῦ* desisteret; Saturionem autem, postquam in foro a Dordali trapezita pretium silentii acceperit, cum filia et praeda domum se recepisse. Quorum multa Plautum, quae nimis Graeca ei visa

1) Ind. schol. Gott. 1893/94 p. 20sq.

essent, resecuisse videri, qui contra Romanorum antestandi morem et praetorem intulerit.

Quae quamquam ut aliis viris doctis, ita mihi „haud inepte disputata esse videntur“, tamen non plane eis assentior. Primum enim Plauto tantam inscitiam non imputaverim, ut eum omnino non probabile reddidisse putem, cur parasitus cenae non intersit et leno, qui in praetoris potestate esse censendus est, rursus in scenam progrediatur. Nihilomagis causam probare possum, qua commotus Plautus ex Wilamowitzii sententia illam partem fabulae contraxerit. Dicit enim Plautum multa, quae ei nimis Graeca visa essent, resecuisse. Sed id ipsum, quod Wilamowitz maxime desiderat, lenonem magna pecunia data a Saturione impetrare conatum esse, ut a causa ἀνδραποδισμοῦ desisteret, neque Atticum neque Romanum, sed omnino humanum est. Itaque illud vitium non ad Plauti inscitiam artis scenicae, sed ad retractatoris artificium referendum esse puto, qui quae Wilamowitz desiderat omisit, ut contra quinti actus convivium et ceteras fabulae partes augere posset, quas amplificationes illi tribuendas esse iam vidimus. Illud quoque parum recte Wilamowitz sumere mihi videtur, quod Saturionem praedixisse statuit „se terriculis ἀπαγωγῆς Dordalo tot Philippeos extorturum esse, ut tandem aliquando domi satur fieri possit.“ Neque enim opus est tale quid conicere et ea scena, in qua Wilamowitz Saturionem hoc praedixisse putat, septima quarti actus, parum idonea est, quippe quam non, ut ille vir doctus coniecit, miserrime ab histrione concisam, sed a retractatore fusius auctam esse me probavisse sperem. Denique Wilamowitz colligere videtur ea, quae in exemplo Graeco exstitisse, sed a Plauto resecta esse posuit, in quinto demum actu a Dordalo narrata esse, cum graviter lamentans in scenam prodiret. Mihi autem verisimilius esse videtur haec in scena potius acta quam narrata esse atque in illa quidem nona scena quarti actus, quae tam brevis et contracta est. Leno enim, cum a Saturione ad praetorem sequi iubeatur, condicionem quandam propositurus est, qua hunc ut a consilio suo desistat commovere conatur (750 Do. *Sine dicam; audi*). Parasitus autem nihil audire vult et surdum se esse praedicans lenonem et filiam ad praetorem sequi iubet, qua re quartus actus finitur. In exemplo Graeco autem et apud Plautum ipsum puto Saturionem primo quidem negavisse se quicquam audire velle, tum autem, cum vox argenti aures eius attigerit, animum attendisse, et ubi leno magnum pretium silentii ei promiserit, avaritiae diutius non restitisse, denique cum ei insuper cavendum esset,

ne fraus sua apud iudicem detegeretur, lenonis condicionem accepisse. Tum autem Toxilum lenonem non ad praetorem, sed ad trapezitam sequi iussisse, ut pretium statim solveret, postquam magno gaudio elatus se hodie primum suis ipsius sumptibus saturum fore et genio suo suaviter facturum esse praedicavit. — Quodsi haec a retractatore quodam resecta esse statuimus, et nonae quarti actus scenae brevitas explanatur et quinti actus difficultates tolluntur: tum perspicuum est lenonem rursus in scenam prodire posse et miserrime lamentari se vehiculum argenti eiecisse nec minus facile intellegitur, cur parasitus convivio non intersit.

Praeter nonam quarti actus scenam in Persa nullum alium locum inveni, qui a retractatore contractus esse videretur. Ladewig[1]) quidem lacunas non tam in fine quarti actus quam in duobus prioribus actibus statuendas esse censuit. Sed optimo iure Goetz[2]) eius argutias reiecit, cum vix dignae sint, quae serio respiciantur. Unam tamen lacunam, quae quidem non retractatoris artificio sed iniquitate temporum orta est, a Ladevico Ritschelium secuto iure statutam esse iam vidimus in paragrapho quam de prologo scripsi (§ 5 p. 166 sqq.).

III De tempore exempli Graeci.

Postquam ea, quae de compositione et retractatione Persae dicenda videbantur, expedivi, iam in eo est, ut hac in parte, quod iam in initio significavi, denuo in sententiam Wilamowitzii inquiram, qui Persam Demosthenica aetate factam et mediae Atticorum comoediae esse accuratius ostendere conatus est. Quamquam antea omnes Plauti fabulas novae comoediae neque ullam Demosthenicae aetatis expressam esse sibi persuaserat (p. 15), tamen subito adductus est, ut sententiam suam mutaret, cum in Persa nonnulla se ei offerrent, e quibus sine dubio elucere ei videbatur fieri non posse, quin Persa Demosthenica aetate facta esset. Perspicuum est ipsius illius quae Wilamowitzio casu obviam se dedit rei gratia omnia alia argumenta, quae vir doctissimus ad sententiam suam probandam protulit, allata esse, quod et ipse concedit (p. 26), ut hoc primario argumento labefactato tota sententia caduca sit, cum nimirum cetera argumenta ab eo allata non multum valere mihi quidem videantur.

§ 8. Argumentum primarium quo maxime Wilamowitz ut Persam superstite regno Persarum idque Demosthenica aetate

1) Philol. XVII p. 474 sqq. 2) L. l. p. 298 sqq.

factam esse crederet commotus est, in eo positum est, quod „Timarchides Atheniensis expeditioni interest a rege Persarum in Arabiam susceptae et Persa puellam ex Arabia raptam Athenis vendit“. Quae quod non re vera gesta essent, sed a Toxilo servo fingerentur, ad illam rem omnino non pertinere: ea fingi, quia fingi tum potuerint. Deinde nullo tempore ex Persia venire potuisse dici eum (v. 498) qui veniret ex Arabia, nisi cum totam Asiam Persae obtinerent. Quibus argumentis commotus Wilamowitz concludit Persam compositam esse superstite regno Persarum et omnia eximie convenire temporibus Artaxerxis III. Ochi, fortissimi regis Persarum, qui anno 338 mortem obiit.

Concedendum est haec argumenta ea esse quae obstupefaciant, et facile effectura esse, ut quae ille vir doctus ex eis collegit, nulli dubio obnoxia videantur. Et profecto viri docti eis ita capti sunt, ut ad hunc diem nusquam legerim quemquam ea refutare vel in dubitationem vocare conatum esse. Hueffner quidem, ut iam in initio commemoravi, quamquam et ipse primo Persam novae comoediae esse persuasum habuerat idque probare conatus erat, Wilamowitzii argumentis victus Demosthenica aetate eam scriptam esse censet (l. c. p. 70—71). Non secus Leo Wilamowitzio plane assentitur.[1]) Ego quoque quamquam Persae indolem novae comoediae tam esse quam posset antea mihi persuaseram, tamen primo obtutu illius viri docti argumentis cedens dubitare coeperam. Diutius autem et accuratius hanc rem mente agitanti argumentum, quo maxime ille nititur, neque ab omni parte probabile neque sufficere mihi visum est, quo tam mira et notabilis res — inter viginti enim et unam fabulas Plautinas viginti novae comoediae, una mediae esset — satis firme probetur.

Pro fundamento argumentandi rationis suae Wilamowitz, quem sequitur Hueffner, posuit, quaecunque in comoediis Graecis de tempore praesenti pronuntiarentur ad id ipsum tempus referenda esse, quo comoedia composita esset. Equidem ut hanc rationem non agnoscam aut refutare audeam tantum abest, ut valde dolerem,

1) Plaut. Forsch. p. 110 . . . „der Persa, den Wilamowitz auf einen Dichter der mittleren Comödie zurückgeführt hat“. Idem in adn. addit v. 506: *Chrysopolim Persae cepere urbem in Arabia* re vera nihil aliud posse significare nisi: *βασιλεὺς καθεῖλε Χρυσόπολιν τῆς Ἀραβίας*. Ei adhuc persuasum esse Persam mediae comoediae esse eis probatur, quae nuper in Herm. XLI p. 440—446 de Diogene apud Plautum disseruit, ubi dicit (p. 440): „Daß das Original des Persa vor der Zerstörung des Perserreichs gedichtet ist, hat Wilamowitz erwiesen . . .“

si cuiquam hoc contingeret: tum enim Hueffner omnem operam, quam in dissertatione sua doctissima et diligentissima posuit, plane perdidisset. At hac in re statuenda cavendum est, ne ultra modum egrediamur; immo facile credemus poetam comicum suo loco, ubi certum consilium sequebatur, illam rationem neglegere potuisse. Sic in Persa expeditio Persarum contra Arabes fingitur et ipse pernego omnino in nullam partem valere, quod Wilamowitz contendit, utrum quae de Persarum in Arabiam expeditione et de puella ex Arabia rapta dicuntur re vera facta an a Toxilo fraudulento consilio ficta sint. Est enim ut ita dicam fictio comica, qua id unum agitur, ut decipiatur stultus leno, qui cum in aliis rebus eximiam prae se fert ignorantiam tum in rebus publicis praesertim earum terrarum, quas propter nimiam ab Athenis longinquitatem cogitatione sua tamquam per nebulam sibi fingebat. Iam supra (p. 155 sq.) vidimus lenonis stultitiam ultra modum auctam esse, ut profecto si dimidio minus stultus Dordalus a poeta fictus esset, tamen vix scire posset, quae necessitudo e. g. inter Macedoniam et Graeciam tunc intercederet, nedum utrum tunc temporis bellum inter Persas et Arabes fieri itaque fingi posset necne. Ultro autem a vafro servo non terrae Atheniensibus satis cognitae, sed ut leno quae necessitudo inter duas gentes belligerantes intercedat ne sciat, remotissimae, Persia et Arabia, inter se bellum gerentes finguntur, utpote quae propter magnum ab Athenis intervallum ne eruditioribus quidem nedum stulto lenoni satis cognitae esse videantur. In Arabiam hoc certe valet et lubet exemplis probare omnibus comoediarum Plautinarum locis, quibus Arabia commemoratur, de hac terra hominum cogitationem mirum in modum perturbatam et confusam esse. Commemoratur autem Arabia, cum discesseris a Persa, tribus ni fallor locis fabularum Plautinarum. Atque primum quidem in Curc. v. 443, quo quidem haud multum probatur: quamquam cum militis fortiter facta terraeque ab eo subactae credibiles et incredibiles enumerantur ne Arabia quidem desideratur.[1]) Maiorem deinde vim probandi praebent duo Trinummi loci, quorum prior (v. 845. 846) sic legitur:

Advenio ex Seleucia, Macedonia, Asia atque Arabia,
Quas ego neque oculis nec pedibus unquam usurpavi meis,

1) Ut hoc loco Arabes Nabataeos esse intellegendos putem, quod Hueffnero placuit (p. 21), animum inducere non possum. Adeo insolenter enim Curculio eri sui facta iactat, ut exceptis fortasse eis gentibus, quae priores nominantur, de vere factis vix cogitandum esse censeam.

et quod quidem ad Arabiam pertinet nullum mendacium pronuntians sycophanta addere potuit: quae ubi terrarum sita sit, utrum re vera an in fabulis tantum exstet prorsus nescio. Hoc enim apparet e versu 933, ubi idem sycophanta haec nugatur:

Omnium primum in Pontum advecti Arabiam terram sumus.

Omnino nihil aliud Athenis de hac fabulosa terra cognitum esse videtur nisi inde herbas amoene olentes et salubres importari (Poen. 1179, Mil. 412, Trin. 934. 935). Etiam Chrysopolis nomen videtur indicare fabulis hic omnia scatere. Nam Arabiae urbs huius nominis aliunde non innotuit et statim hoc nomen cum verbo χρυσός compositum fictum esse significatur. Ne de Persia quidem ineruditiores saltem Atheniensium multo melius quam de Arabia instructi esse videntur, cum in Stichi v. 24. 25 Panegyris aureos montes Persarum harioletur (cf. Ar. Ach. 82), quamquam alia testimonia desunt.

Itaque non me falli spero, cum eandem atque in exemplis allatis confusam de terris belligerantibus opinionem in Persa Dordalum lenonem prae se ferre censendum esse sumo, cuius manca terrarum peregrinarum notione fretus Toxilus consilium eius decipiendi animo concipit. Itaque in ea scena, in qua Saturionem edocet, quomodo instructam filiam suam lenoni vendendam offerat, his verbis utitur (151):

Sed longe ab Athenis esse se gnatam autumet.

Omnino de hac fictione comica ita iudicandum esse puto: poeta consilium cepit argumentum fabulae componere, in quo vafer servus quidam lenonem ea re defraudaret, quod virgo libera, quae bello capta esse fingeretur, ei ad emendum oblata deinde in libertatem vindicaretur. Qua manca terrarum exterarum notione leno esse censendus est, poeta non anxie debebat circumspicere, num quae fingeret, e condicione terrarum, quas belligerantes simularet, re vera tunc temporis fieri possent: id unum observare debuit, ut quae fingeret in cogitatione stulti lenonis fieri possent. Itaque Persas et Arabes, quorum nomina saltem lenonem audivisse, ceterum quae necessitudo inter eos intercederet ignorare poeta exspectare potuit, bellum inter se gerentes finxit: quod re vera fieri non potuisse poetam non fugisse certum puto.

Hac vero deliberatione commotus dubitaverim, num Wilamowitz recte iudicaverit et nescio an nimis arte verbis inhaerens plus aequo e contextu coniecerit. Sed accedunt graviora. Nescio

enim, quo iure ille vir doctus nisi merae coniecturae indulgens[1]) contendere possit Timarchidem Atheniensem expeditioni interesse a rege Persarum in Arabiam susceptae. Neque enim ulla res aut ullus versus totius Persae ius potestatemve dat concludendi regem Persarum illam expeditionem suscepisse. Versus ille, qui maxime ad hanc rem pertinet, in epistula continetur, quam Timarchides Toxilo scripsisse fingitur, ubi sic est (506):

Chrysopolim Persae cepere urbem in Arabia.

Rex Persarum neque hoc loco neque usquam alibi commemoratur, sed „Persae" Chrysopolin cepisse dicuntur, et ea ratione, qua Leo utitur, cum dicat illum versum nihil aliud posse significare nisi *βασιλεὺς καϑεῖλε Χρυσόπολιν τῆς Ἀραβίας*, nimirum vis infertur memoriae traditae, cum mitior vox mihi non suppetat. Quodsi quomodo in exemplo Graeco hic versus scriptus fuerit vertere volumus, non habemus cur aliter vertamus nisi sic: *Πέρσαι καϑεῖλον Χρυσόπολιν τῆς Ἀραβίας*. Iam Hueffnero „offensioni fuerat, quod non tam rex Persarum quam Persae bellare dicuntur, cum Graecus nemo unquam locutus sit de Persarum verum de *βασιλέως* expeditione". Haec res iam tironibus nota est, ut opera exempla afferendi supersedere possim. Licet igitur efficere Persae exemplum Graecum non superstite regno Persarum verum eo tempore compositum esse, quo non iam *βασιλεύς* fuit, id est temporibus novae comoediae. Ac ne illud quidem, quod Hueffner contra dicit, ullius momenti est. Dicit enim se nescire an in Graeca fabula *βασιλέως* potius expeditio quam Persarum commemorata fuerit, fortasse regis ipsius addito nomine; pro quo Plautum, cum Persa quidam in exemplo suo inductus fuerit ex Persia Athenas profectus, facile nos putare posse substituisse nomen Persarum. Quae coniectura nihil valet. Quid enim impedivit, quaeso, quominus, si *βασιλεύς* in exemplo Graeco exstitit, a Plauto Latine convertente pro *βασιλεύς* rex Persarum poneretur? Ac ne illud quidem verisimile est Plautum nomen regis omisisse, cum alio loco (Aul. 86) Darium regem Persarum nominare non dubitet. Sed hac opera refutandi ea, quae in exemplo fortasse exstitisse potuerint, supersedere possum. Retineo ea quae libri exhibent et ex eo, quod non tam rex Persarum quam Persae nominantur, quamquam

1) Concludit enim, cum Persarum expeditio commemoretur, de *βασιλέως* expeditione cogitandum esse.

non prorsus certo concludere audeo[1]) illo tempore quo Persa composita est regem Persarum non iam fuisse Persarumque regnum intercidisse, tamen nego atque pernego tanta fiducia quasi res extra dubitationem posita esset id conici posse, quod Wilamowitz et Leo coniecerunt.

Sed contra dixerit quispiam, si Persarum regnum interciderit, ne Persas quidem bellum gerentes fingi potuisse. Sed apud Plautum Persas non tam intellegi Persarum regni incolas quam Persidis provinciae, quae etiam postquam Persarum regnum interiit porro permansit, luculentissime probat alter locus Plautinus, quo Persarum mentio fit: Curculionis dico, qua in fabula Curculio parasitus Lyconi trapezitae interroganti, quam ob rem Therapontigonus miles statuam sibi exstruere velit, haec respondet (442 sqq.):

Dicam: quia enim Persas, Paphlagonas,
Sinopas, Arabes, Caras, Cretanos, Syros,
Rhodiam atque Lyciam, Perediam et Perbibesiam
. . . .
Subegit solus intra viginti dies.

Nemo erit qui hoc loco Persas regni Persarum incolas intellegendos esse censeat, sed unusquisque Hueffnero assentietur, qui Persidis provinciae incolas dici recte contendit (p. 20), quia ineptum esset, si poeta toto regno commemorato singulas provincias adiunxisset. Alias quoque Persas (*Πέρσας*) non regni ab Alexandro deleti, sed Persidis provinciae incolas dici probat Diodorus Sic. XIX 92, 4. Hoc enim loco Diodorus postquam Nicanorem copias ex Media et Perside comparasse narravit (92, 1), Persarum satrapam, cum Seleucus noctu repentinum impetum fecisset, cecidisse commemorat. Nulli dubio obnoxium est quin Persae hoc loco Persidis provinciae incolae sint. Atque hos etiam posteriore i. e. diadochorum aetate suam quandam habuisse rem publicam atque satis libere se gessisse contra Macedonas probat idem Diodorus Sic. IX 48, 5.

Itaque Persidis provinciae incolas in Persa Plautina illam in Arabiam expeditionem suscepisse dici posse facile credas. Hanc re vera factam esse minime contendo, sed facile a poeta fingi potuisse ad decipiendum lenonem ex eis quae p. 183 sqq. disserui certum et exploratum esse puto. Neque solus sum, cui hanc ex-

1) Concedo enim adversantibus, quamquam parum verisimile est, non prorsus fieri non potuisse, ut etiam superstite regno Persarum expeditio quaedam simpliciter Persarum pro *βασιλέως* commemoraretur.

peditionem fingi posse persuasum sit, sed habeo auctorem Hueffnerum, qui quamquam omnia quae in comoediis Graecis fiunt, ad eiusdem aetatis res accommodata esse pro fundamento dissertationis suae posuit omnibusque locis ad hanc rem pertinentibus paene abusus est (cf. p. 184 adn. 1), tamen non dubitat, quin in Persa illud Persarum contra Arabes bellum fingi potuerit eadem deliberatione commotus quam ego p. 183 sqq. accuratius exposui.[1]) Hueffnerum cogitare de bello a rege quodam Persarum in Arabiam suscepto, quod quamquam de Persarum regis bellis adversus Arabes gestis nihil scimus tamen fingitur, me autem de bello ficto a Persidis provinciae incolis suscepto, levis discrepantia est: gravissimum est eum omnino tale bellum fingi potuisse concedere.

Modo rem perstrinxi, quam accuratius persequi operae pretium esse mihi quidem videtur. Wilamowitz enim censet expeditionem illam Persarum in Arabiam a Toxilo fingi non potuisse, nisi tunc temporis condicio talis fuisset, ut omnia quae fingerentur re vera fieri possent. Deinde contendit omnia egregie convenire Ochi temporibus, unde colligere licet eum sumere hunc regem re vera Arabiae bellum intulisse. Sed de bellis regum Persarum contra Arabes gestis nihil fere scimus. Hoc unum constat Cambysi, cum expeditionem in Aegyptum susciperet, Arabes commeatum et camelos per loca deserta praebere coactos esse et Darium Arabes inter gentes a se subactas nominare.[2]) Quae sexto et initio quinti saeculi facta sunt: sequenti aetate Arabes impetu lacessentes magis quam lacessiti et lenitate potius et argento quam vi et armis cohibiti esse videntur, ne ulterius progrederentur. Ceterum omnino certa de his rebus memoria caremus. Quamvis desideremus, tamen haud facile animum inducere possum, ut quinto vel saltem quarto saeculo bellum inter Persas et Arabes fuisse putem. Quicunque enim tempora illa perscrutatus erit, eum non effugerit Persarum reges immensum regnum, quod a Cyro hereditate acceperant, nisi magno labore et sudore non continuisse neque ullum regem labore supersedisse, quin seditiosas gentes vel rebelles principes subigeret, ut vix ei tempus relinqueretur ad novas terras subiciendas. Ne illud quidem recte se habet, quod Wilamowitz contendit eum qui ex Arabia veniret, nullo tempore ex Persia venire dici potuisse, nisi cum Persae totam Asiam obtinerent, id esse superstite regno Persarum: omnino nullo tempore hoc dici potuit, si cum Wilamowitzio omnia verba auraria statera pendere volumus, cum Ara-

1) Hueffner p. 70. 2) Helmholt, Weltgeschichte III p. 238.

biam Persae nunquam obtinerent nisi Cambysi et Darii temporibus partem septentrionalem. Praeterea vereor ne hoc loco Wilamowitz morosius litteris inhaeserit. Mihi quidem verisimilius esse videtur poetam, cum Persam quendam Athenas proficiscentem induxerit, litteras quas ille secum tulit, ex Persia potius quam ex Arabia venire dicere. Et si quis omnia cum pulvisculo exhaurire voluerit, poterit dicere eum expeditione in Arabiam facta in Persidem reversum inde Athenas pervenisse.

§ 9. Alia indicia, quae certum tempus significent, in Persa non inesse valde dolendum est, cum ea ipsa, quae Wilamowitz attulit praeter id, quod e commemoratione regni Persarum ei concludi posse visum est, aeque novae ac mediae comoediae convenire ipse concedat.[1]) Itaque opera omnia denuo perlustrandi supersedens ea tantum eligam, quae illi plus momenti afferre visa sunt ad id probandum quod quaerit, h. e. utrum Persa mediae potius quam novae comoediae sit.

Wilamowitz enim eo inclinat animo, ut e versibus 159 et 160, ubi choragus commemoratur, Persam ante Demetrii Phalerei aetatem scriptam esse concludat, cum eius temporibus Athenis agonothetae choragis successerint. Illi versus sic leguntur (159 sq.):

Sat. *πόθεν ornamenta?* To. *Abs chorago sumito.*
Dare debet: praebenda aediles locaverunt.

Choragus praeterea in comoediis Plautinis commemoratur Trin. v. 857 *(Ipse ornamenta a chorago sumpsit suo periculo)*, et in Curculione, cuius „parabasin" ipse choragus dicens inducitur. Is versu 464 metuit, ut ornamenta quae locaverit recipere possit. Wilamowitz miratur, quod cum in Trinummo et Curculione choragus ornamenta locet, in Persa ab aedilibus locata accipiat. Itaque probabile esse Plautum in exemplari choragum invenisse, pro quo aediles posuisset. Facere non possum, ut ei assentiar. Omnino enim hic, ubi non de fictis rebus aut peregrinis, sed de veris et Romanis rebus sermo erat, non debebat anxie circumspicere poeta, quid in Graeco suo exemplari esset: quapropter etiam aediles sunt aediles intellegendi neque *ἀγωνοθέται* populo quidem Romano ignoti neque choragi, ut supervacaneum et inutile sit quaerere, quid exemplum Graecum exhibuerit. Deinde autem vereor ne

1) Cf. p. 26: Argumentum nobis unum est, quod e Persarum regni commemoratione repetivimus: cetera omnia eo consilio disputata sunto, ut Demosthenicae aetati graecam comoediam a Plauto expressam convenire appareat.

Wilamowitz v. 160 minus recte interpretatus sit. Constat enim Romae liberae quidem rei publicae aetate horreum choragii publicum non fuisse, ut magistratus, qui ludis praeerant, privato homini negotium darent, qui ornamenta et instrumenta scenica curaret. Qui choragus dictus edicto aedilium ornamenta aliis personis locare debuit (sic enim intellego illud *dare debet: praebenda aediles locaverunt).* Ceterum choragum non idem esse atque Atticum χορηγόν, sed optime respondere Graeco ἱματιομίσθῃ, vix est cur moneam. Et Plautum choragum non pro Graeco χορηγῷ vertendo posuisse, iam ille Trinummi locus (857) docet, quam fabulam esse Thensaurum Philemonis, cuius aetate choragi agonothetis cesserunt, ipse poeta in prologo confitetur, idemque Curculio (464), quam Hueffner ad novae comoediae exemplum revocavit. Itaque siquidem Plautum in Persa choragum pro voce Graeca eadem posuisse atque in Trinummo et Curculione constaret, res confecta et Persa novae comoediae esset. Sed ut iam dixi nimis incertum est, ubi de rebus Romanis agitur, quaerere vel conicere, quid in Graeco exemplo exstiterit.

Simillima est ratio versuum 339 et 340, ubi Philippus et Attalus commemorantur, reges Plauti aetatis notissimi, quorum alter Romanis fidelis erat socius, alter et his et illi inimicissimus. Quamquam ne hic quidem suspicari possumus, quid exemplum Graecum exhibuerit, tamen verisimile mihi esse videtur poetam Graecum duo ex Alexandri magni successoribus nominasse, quos anno 306 reges factos esse constat, quorumque in exercitibus nimirum multo plures Graeci stipendia meruerunt quam quondam in Philippi Alexandri patris, ut iure eorum causa aliquis venire dici posset.

Tum versus 394 et 395, qui leguntur:

Dabuntur dotis tibi inde sescenti logei
Atque Attici omnes: nullum Siculum acceperis

Philippi Alexandri patris temporibus potius quam tertio saeculo convenire Wilamowitz putat, quia Philippum „logorum Atticorum collectionem talento emisse tradit Telephanes" (apud Athen. XIV 614 e). Iniuria virum doctissimum ex hac Athenaei mentione concludere illum Persae locum ad Philippi aetatem referendum esse apparet ex eis, quae Pseudo-Asconius in Ciceronis divinationis paragraphum 39 affert. Ad Ciceronis enim verba *(si litteras Graecas Athenis, non Lilybaei, Latinas Romae, non in Sicilia didicisses)* haec adnotat: *Dicit illum Graecas litteras simul et Latinas in Sicilia didicisse: in ea insula, quae neutra lingua bene utatur. Ita enim*

Plautus in Persa „Dabuntur dotis . . . acceperis.“ His clare elucet illam subtilem distinctionem inter litteras Atticas et Siculas non tam Athenis quam Romae factam esse, ubi Siculae prae Atticis contemptui erant. Itaque illos Persae versus a Plauto ipso additos esse cum Ladevico[1]) persuasum habeo, ut ne ex his quidem quicquam de tempore exempli Graeci conici possit.

Denique ne in eis quidem argumentis, quae Wilamowitz ex arte comica petivit ut probaret „ante novam comoediam excultam et perfectam Persam compositam esse“ (p. 21 sqq.), ulla vis probandi inest. Atque maxime desiderat vir doctus in Persa artem Menandream, quod ex ea potissimum re appareat, quod scenae nimis inscite coniunctae sint, quod „intrent et exeant personae plerumque soli poetae arbitrio obsecutae.“ Quae res ei indicare videtur hanc minus elegantem artem propius abesse a vetere quam a nova comoedia, cum illam, quae choris actus distingueret, episodia non conexuisse constaret. Multa habeo, quae contra dicam. Primum enim gravissimum huius rei exemplum, quod in eo consistit, quod Dordali decessus a scena IV 7 omnino probabilis non redditur, coniectura mea tollitur, qua p. 172 sqq. illud vitium retractatoris inscitiae tribuendum esse conclusi. Deinde adhuc nemini contigit, ut novam comoediam, quae quidem non choris, sed tibiis actus distinxit, semper in quinos actus divisam fuisse satis firme probaret et facile animum induco, ut multas inscitias, quae eo oriuntur, quod scenae parum affabre coniunctae sunt, ad eam rem referendas esse putem, quod comoediae talibus vitiis inquinatae (neque enim Persa sola est) in sex vel septem actus divisae fuerunt. Tum autem mediae comoediae ne unum quidem exemplum integrum aetatem tulit, ut omnino nesciamus, utrum re vera in media comoedia, quippe quae prima choros omiserit, scenae parum affabre conexae fuerint an diligentiores poetae hoc vitium evitaverint. Omnino in Persa, etiamsi novae comoediae est, Menandrea elegantia, quam e. g. Terentii fabulae prae se ferunt, nequaquam exspectanda est, cum Plautum perpaucas comoedias Menandri expressisse constet. Et neglegentiores novae comoediae poetas, quorum ab uno certe Persae exemplum compositum est (160), non semper nimis anxios fuisse in conectendis singulis scenis et a priori constat et in multis aliis comoediis Plautinis observes. Ut nonnulla saltem exempla afferam, parum eleganter coniunctae esse videntur Asin. actus I

1) Cf. lepidam eius interpretationem horum versuum in commentationis quam de canone Volcatii Sedigiti scripsit p. 22 sq.

scenae 1 et 2, Asin. III 1. 2, Stich. V 2. 3. 4, Merc. I 1. 2, IV 1. 2, aliae.

Deinde Wilamowitz in Persa desiderat Euripideum prologum, quem nova comoedia excoluerit. Tum autem pari iure Asin. Curc. Most. Stich. Trin. Vid.[1]) (Ep.)[2]) mediae comoediae sunt, utpote in quibus Euripideum prologum, qui in enarrando argumento potissimum positus est, frustra quaesitaveris.

Denique miror Wilamowitzium mirari tragicam et Euripideam dictionem in omni virginis sermone, quia veteri potius quam novae comoediae proprium sit feminas „ad tragicam sublimitatem evehere“: qui modo tantam vim et auctoritatem Euripidei prologi in nova comoedia agnovit, ut quae fabulae eo carerent an mediae comoediae essent dubitaret, idem miratur Euripideam dictionem in sermone virginis.

§ 10. Quodsi licet in fine comprehendere, quae hac in parte disserui, haec summa disputationis est: negandum est in Persa satis firma indicia temporis inesse, e quibus certa fide et confidenter concludi possit fabulam mediae aut novae comoediae esse. Cum autem ea quae insunt minime prohibeant, quominus Persam novae comoediae esse credamus, immo argumentum primarium hoc suadeat, cum praeterea Plautum in exprimendis ceteris fabulis poetas novae solius comoediae secutum esse constet: non video cur Persam, utpote quae personas novae comoediae, ut lenonem, parasitum, vafrum servum quam maxime excoluerit, excipiamus eamque solam mediae comoediae esse credamus.

1) Vidulariae prologum, quamquam miserrime mutilatus est, tamen Euripideum non fuisse apparet e v. 10 sq.:

Credo argumentum velle vos pernoscere:
Intellegetis potius, quid agant quando agent.

2) De Ep. quidem dubitari licet, cuius prologum excidisse mihi persuasit Fr. Leo (Plaut. Forsch. p. 179 sqq.).

Vita.

Natus sum Hermannus Henricus Maximilianus Meye Ienae die XXVII, mensis Iulii anni 1883, patre Godofredo, matr Anna e gente Pruefer, quos ambos veneror superstites. Fide addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus in schol vici Vieselbach quattuor per annos gymnasium reale urbis Apolda deinde quinque per annos Isenaci gymnasium Carolo-Fridericianu frequentavi. Hic cum vere anni 1903 maturitatis testimoniu adeptus essem, studiis philologicis classicis et germanicis opera dedi Heidelbergae sex menses et Ienae septem semestria.

Docuerunt me viri docti Heidelbergenses: Ehrismann, K. Fischer, Osthoff, Schoell, Thode, Windelbandt, Ienenses: Delbrueck, Dinger, Eucken, Gelzer, Goetz, Hirzel, Leitzmann, Liebmann, Michels, Schloesser, Wilhelm.

Scholis seminarii philologici Ienensis moderantibus Gelzer, Goetz, Hirzel per quattuor semestria interfui sodalis, in his senos menses subsenior et senior. Proseminarii germanici scholis moderante Michels interfui per annum; seminarii ab eodem viri docto recti fui sodalis per quattuor semestria et quintum senior.

Quos viros omnes mihi in studiis meis maxime profuisse libent gratoque profiteor animo; praecipue autem gratias ago quam maximas Georgio Goetz, cui et aliis in rebus et hoc in opusculo perficiendo quid debeam numquam obliviscar.